Jón Gíslasón.
De elephantiasi Norvegica.
Havniae 1785.

om Likspræ ved a. 1548. Brigner Kalfskind. s. 107.

DE

ELEPHANTIASI NORVEGICA

PRAESIDE

JO. CLEMENTE TODE

MED. D. ET P. P. AVLIATRO REGIO, COLL. MED. MEMBRO, REGG. SOCC. MEDD. HAVN. PARIS. ET EDINB. SODALE.

PRO GRADV DOCTORIS

DISPVTABIT

JONAS GISLESEN

ISLANDVS Landsloeknir

PRAEFECTVRAE BVSKERVDENSIS PHYSICVS REGIVS CIVITATVMQVE DRAMARVM POLIATER.

HAVNIAE, AD D. 1mum SEPTEMBER. cIɔIɔCCLXXXV.

EX OFFICINA HOLMIANA.

CELSISSIMO ET SERENISSIMO

PRINCIPI

FREDERICO

GEMINI DIADEMATIS HAEREDI

SEPTENTRIONIS DELICIIS DVLCISSIMIS

DOMINO SVO CLEMENTISSIMO

HOC SPECIMEN INAVGVRALE

CEV DEVOTISSIMAE GRATITVDINIS DOCVMENTVM

SVBMISSISSIME OFFERT

AVCTOR.



Caput primum.

Deſcriptio morbi quoad Symptomata, cauſas, et medicabilitatem.

§. 1.

ELEPHANTIASIS Norvegorum endemica, quæ Radeſyge et Saltflod, nec non Spedalſkhed vernaculá lingva promiscue vocatur, incipit vulgo cum tuberculis cutaneis, varias corporis partes occupantibus.

PEDES tamen, brachia et facies, ſolita ſunt loca, ubi morbus ab initio ſe manifeſtat. Nec facile habes alia ſigna pathognomonica, quæ morbi præſentiam in principio indicent. Tota enim oeconomia animalis, in corpore miſerorum hoc malo affectorum primis plerumque

temporibus feliciter ſuccedere videtur. Sed protracto paululum tempore, vividus faciei color in luridum mutatur, qui in ſubjectis nonnullis valde pallidus, in aliis vero, et quod ſæpius evenit, plumbeus evadit, in aliis iterum color vix à naturali recedit. Tunc ſimul ſegnities nonnulla et ſomnolentia ſentitur, inque ſexu ſequiore menſes interdum fluere deſinunt.

Si nunc validior corporis motus tentatur, vel per acclivia greſſus acceleratur, ſentiunt ægrotantes juſto majorem ad genua aſtheniam et reſpirationis difficultatem. Facies paululum intumescit, tubercula cutanea leviter inflamantur, cicatricem, effluxo ichoris pauxillo, vel ſponte, vel externis remediis adhibitis, induunt, ſed ſtatim iterum erumpunt. Hoc modo morbus plerumque incipit.

§. 2.

Si morbi ſævitia ſibi diutius relinquitur, ſenſus ille, qui tactus vulgo vocatur, hebescit, memorataque ulcuscula ſedem in ſubjacente carne altius figunt, livescunt, ichorem tenuem aqua remixtum odoris ſingularis fundunt, qui majorem acrimoniam contrahens, ulcus pro loci affecti natura, vel ſinuoſum, profundum, ſubjectis oſſibus cariem minitans, vel cum mag-

no doloris ſenſu in ſuperficie ſerpens, cutim erodens, atque fungoſum conſtituit. Tunc cutis circumquaque ſæpe fit rugoſa, et interdum nonnihil ſquamoſa. In his ulceribus pus genuinum nunquam vidi, nec generari poſſe credo, niſi prava corporis conſtitutio prius ſublata ſit. Ubi vero externis tantum remediis tentantur, uno loco difficulter conſolidata, altero citiſſime iterum erumpunt, quam ſcenam cum morbus per ſat longum temporis luſit, ad alteram tragoediæ partem, faucium et capitis affectionem, priore illa multo periculoſiorem et ſanatu difficiliorem tranſit.

§. 3.

Uvula primo leviter inflammatur, conqueruntur que ægrotantes de corpuſculo quodam, quod in faucibus alternatim aſcendat et deſcendat, vocaturque ab illis vernaculâ Dott. Sed cavendum eſt ne hoc pro ſigno morbi infallibili habeatur; ſpaſtica enim oeſophagi contractio alternatim remittens, idem ſymptoma mentitur; ſequior autem in Norvegia ſexus, uti et maſculi teneræ corporis naturæ, ſpasmis multum obnoxii ſunt. Idem in ſimplice angina ſæpe ſæpius obſervari quis neſcit?

§. 4.

Quam primum autem morbus uvulam vere occupans hanc ſenſationem ægrotanti imprimit, ſuam naturam jam prodit. Angina enim fauces cito, uvulam et tonſillas cum aphthoſis maculis occupat, uvulaque brevi excidit. Poſtea palatum molle et interiora naſi invadit cum teterrimo ozænæ fluxu. Tunc ægrotantes accerrimum dolorem ſentiunt ad radicem naſi et ſinus frontales, quem Spreingſel vocant, quaſi hæc loca diſcerperentur. Interdum neque oculis parcit malum. Sæpe enim alterutrum, ſæpe utrumque infeſtat. Tunc glaucoma cum taraxi primum apparet, qvod poſtea in concrementum fungoſum, rubicundum et aſpectu carnoſum usque eo excreſcit, ut totus oculus fungoſæ carnis ſpeciem habeat. Genæ ſimul et tempora, eodem modo, ut de artubus dictum eſt, nunc exulcerantur. In calvaria vero tumores primo molles, parvi, complanati proveniunt, unde humor gelatinoſus exſudat, qui cito concreſcit, ſub quo concremento ulcera eadem ratione ac in aliis corporis partibus nascuntur, quæ oſſibus ſubjectis non parcunt, quin carioſa evadant. Hæc omnia licet caput patiatur, artus tamen et alia corporis loca ulceribus non minus afficiuntur, unde omnia iſta capitis mala

la ſævitiæ morbi ad auctæ, non vero metaſtaſi, ſunt adſcribenda.

§. 5.

Morbo ita maturitatem quaſi nacto, habitus corporis indies marcescit et debilior fit; Reſpiratio paulatim difficilior, vox rauca, naſalis et gracilis. Oſſibus naſi carie exeſis, naſus collabescit et quaſi deperditur, viſus aboletur, vel ſaltem valde debilitatnr. Doloris ſenſus et pruritus intolerabiliter excruciant ægrotum imprimis in lecto decumbentem. Nec aerem frigidum ferre valet iſte. Interea tamen appetitus et excretiones alvi ſunt fere naturales, omnis vero motus moleſtus, omnisque ſomnus turbatus; urina ſibi non ſemper ſimilis. In ſexu ſequiore loco menſium leucorrhæa interdum profluit. Sed quanquam hæc omnia ſymtomata ægrum vexent, nulla tamen vel valde exigua febris obſervari ſolet.

Mihi quidem nunquam contigit ægrotum videre, triſti fato jamjam ſuccubiturum, ſed vero ſimilis eorum relatio mihi videtur, qui morbo conſumtos hectica febre perire dicunt, uti tabe confectis evenire ſolet.

§. 6.

Hæc eſt morbi freqùentior facies, quando ſine evidente externa cauſa ab acrimonia interna ortus eſt. Interdum ſub alia forma apparet; multum enim variat pro cauſarum occaſionalium imprimis diverſitate. Sed angina lente procedens, et ſummopere pertinax, uvulæ perniciosiſſima certiſſimum eſt ſymptoma, quod præſentiam morbi prodit, tubercula licet, et exulcerationes ab initio non appareant.

§. 7.

Ex illis quæ jam attuli elucescit, præcipua hujus morbi ſymptomata eſſe: Dolores varios; Tubercula cutanea in ulcera malignæ indolis erumpentia, ſponte renascentia; Tactûs in locis affectis hebetudinem; Faciem tumidam, luridam; Anginam lentam, inflammatoriam, malignam, in gangrænam abeuntem; Oſſium cariem; Uvulæ, naſi, et viſus deperditionem; Pruritum intolerabilem; Cutim rugoſam et interdum ſquamoſam; Menſium in ſequiore ſexu ſuppreſſionem, et fluorem album; Dyſpnæam; Vocis immutationem; Somnum multum et turbatum, Febrimque hecticam, quam mors ſequitur. Multa his adjungi poſſe ſymptomata patet, ſed veniam facile me impetraturum confido tot enumeraſſe, quot opus eſt ad morbum dig-

dignoscendum. Superſedeo quoque pathologicas explicationes, has enim aliunde in genere ſibi cognitas habebit unusquisque, priusquam hunc morbum ſanandum ſuscipit.

§. 8.

Inter cauſas morbi prædiſponentes primo numerari meretur, proclivitas ad hunc affectum incolis regni Norvegici in genere connata. Experientia enim docuit, multos in Norvegia natos ex levi cauſa occaſionali in hunc morbum incidiſſe, quos juraſſes homines eſſe ſaniſſimos, nec credidiſſes ab hoc morbo tam facile affici potuiſſe. E contrario autem pro certo habetur, peregre advectos per totam vitam à labe immunes manere, quamvis iisdem cauſis occaſionalibus, ac indigenæ, ſint expoſiti, quin imo cum ejusmodi elephantiacis convixerint.

§. 9.

Huic valde affinis eſt cauſa prædiſponens, quæ ſtrictius hæreditaria vocatur. Multoties enim eſt obſervatum, ex progenie parentum morbo confectorum, unum vel alterum liberorum in hunc morbum incidiſſe, nulla evidente cauſa occaſionali prævia, quod eo minus mirandum eſt, quo frequentior experientia de alio-

rum morborum feminiis, et natalibus idem teftatur.

§. 10.

CAUSARUM occafionalium catalogus nimis longus foret, fi omnes et fingulas explicare vellem: præcipuas igitur et maxime notabiles ad feram. Prima eft aër hujus foli frigidus multum et humidus, magnam anni partem prævalens, qui, ut multis aliis morbis, ita quoque huic, infignem anfam præbet. Compertum enim eft ex refrigerio morbum latentem excitari poffe. Novi mulierem afpectu formofam, et fortunæ fatis lautæ, quæ dum rheda in aëre gelidiffimo veheretur, ftatim morbo afficiebatur, et auxiliis viri experientiffimi per longum tempus adhibitis, difficillime faluti reftituebatur. Verum circa tale refrigerium id notandum eft, quod catarrhus, non, uti aliter fieri folet, angina cum doloribus acerrimis ad radicem nafi, fauces et palatum occupante, folvatur, fed fluxus narium et angina, febre ceffante, perdurant, quod citiffimam faucibus et faciei devaftationem minatur. Quamvis vero refrigerium haud frequenter tantum, tamque notabilem effectum fortiatur, multum tamen ad morbum producendum femper valere illud, non eft dubitandum. Neque parum huic noxæ favet, incautus hypo-

caufto-

hauſtorum calidiſſimorum abuſus, ex his enim homines prodeuntes, frigori rigidiſſimo ſe exponunt, nivi et aquis ſe immergunt, longa & difficilia itinera ſub eadem cæli inclementia, madore à capite ad calcem perfuſi, ſuſcipiunt. Morbo autem huic vel producendo, vel alendo, nihil æque favet ac frigus.

§. 11.

In cauſis occaſionalibus non infimum locum meretur cibus et potus. Aqua in hoc regno ſæpe impura bibitur, iis imprimis tempeſtatibus, dum nix ſolvitur, quas Slommetider indigenæ vocant. Præterea vehit ſecum aqua multum mineralis varii generis, ſcatetque diverſis ſalibus, uti Anglicano, Glauberiano et Vitriolo. Talem aquam nonnihil conferre poſſe ad acrimouiam in corpore producendam, credibile eſt. Nec reticendus eſt vini aduſti viliſſimæ notæ abuſus. Semper enim homini eſt nocivus; iis vero imprimis, qui ad hunc morbum ſunt prædiſpoſiti.

§. 12.

Cibus Norvegorum cacochymiæ inſigniter favet. Uſus enim vegetabilium eſt parciſſimus, ſed animale regnum illorum vices ſupplet. Nec carne animalium recente vescuntur, caro verò

 fumo

fumo indurata, lardum ſemiputridum, piſces vetuſti, indurati, præſertim haleces putrescentes, plevronectides garo refertæ, victum ſiſtunt qvotidianum per integrum ferè annum. num. Nec datur pauperibus menſam ſuam condimentis ornare, nec ſitim cereviſia exſtingvere. Nemo hinc miretur, quod acrimonia humorum ſit in hoc regno frequentior, quam in iis regionibus, ubi victus è regno vegetabili tam frequens, tamque abundans eſt, quam in Norvegia parcus & rarus. Suſpecti quoque ſunt pisces è ſalmonum genere, leproſi dicti, ut et pecora in quibusdam Norvegiæ tractibus, ejusdem famæ, quod ſint eſu valde inſalubres, qui tubercula et alia morbi leproſi ſigna monſtrent, eritque tutius ab iſtiusmodi eſca abſtinere, quam dubiam de ſanitate aleam ludere.*)

§. 13.

SUNT adhuc in vitæ ratione Norvegorum multo plura, quæ huc pertinent, ut domicilia vetuſta, mari et fluminibus nimis propinqua, in ſolo humido conſtructa, tum etiam neglecta nimium veſtimentorum madidorum mutatio et munditiei defectus, non modo ratione veſtimentorum, ſed etiam illorum, quæ ad rem cibari-

*) Anton R. Martin. Anmärkningar öfver den så kallade Spitelska Fisk och Boskap i Norrige. I Kongl. Svensk. Vetensk. Akad. Handl. Aar 760. 4de Quartalet.

bariam pertinent. Hæc omnia magis vel minus, pro re nata caufas hujus morbi occafionales fieri poffe, nemo non intelligit.

§. 14.

VIOLENTIÆ externæ, ut lapfus, plagæ, verbera, concuffus &c. morbum mire excitare valent. Præter repetitam variorum relationem, mihi videre contigit duas foeminas, quarum prios viginti annos nata, fcalam incaute ascendens, femur et coxendicem ingenti plaga percufferat, quæ, poft adhibita externa remedia, malo ifchiatico afflicta, lecto conftanter affigebatur, externa licet femoris et lumborum facies fana appareret; Sed paulo poft plagam acceptam, fauces invadebat morbus, cum eisdem fymptomatibus, quæ antea defcripfi. Altera erat quinquaginta circiter annorum, quæ fupercilium finiftrum, duro cuidam corpori impégegerat', quam contufionem fanare diu fruftra tentavit. Sed vulnus in ulcus latius fefe indies explicans abiit, morbique complura ad nares et fauces fymptomata fe monftrarunt priusquam idoneis externis et internis remediis, hoc malum fuerit fublatum.

§. 15.

DUM in eo fum, ut caufas occafionales enumerem, non erit prætereundum contagium,

cujus

cujus culpa hic morbus à multis diffamatur, ab aliis vero abſolvitur. Neque hanc litem componere audeo, ſed pro certo ſcio conjuges, quorum alter morbo erat infectus, per biennium et ultra, ſine noxa cohabitaſſe. Vidi etiam ægrotantes, malo ad ſummum ferè aucto, cum ſanis, ſine omni evidenti detrimento, convixiſſe, quod in morbo contagioſo impune fieri non potuiſſet. Accepi tamen à viris experientia claris, quod infectorum ſputa, halitus oris, ſudores, ichor ulcerum, et cætera, quæ ex talibus corporibus excernuntur, ſint res, à quibus ſanis ſerio cavendum, imprimis ſi diſpoſitionis ad morbum ulla accederet ſuſpicio.

§. 16.

Jam cauſas evidentiores morbi hujus quidem enumeravi, plures tamen adferri poſſunt, quæ huc ſenſu ſtrictiore pertinent; varii enim morbi, imprimis cutanei, anſam huic malo præbere poſſunt, ſi vel negligantur, vel male tractentur. Nec tacite prætereundæ ſunt nutrices infantium, diverſa labe infectæ, quarum nimius in Norvegia nummerus inſignis malorum exiſtit ſcaturigo. Sic etiam Pathemata animi morbum provocaſſe obſervatum eſt. Ut paucis dicam: Quicquid naturam hominis debilitare

tare valet, in genere hujus morbi caufa vel prædifponens vel occafionalis, magis minusve confpicua, fieri poteft.

§. 17.

Ad caufam mali proximam quod attinet, acrimoniam humorum fpecificam, et incolis Norvegiæ endemiam, in actum provocatam pro illa affumi debere cenfeo.

§. 18.

Priusquam morbi defcriptionem relinquam, aliquid de ejus duratione dicendum foret. Sed fateor me nil certi hac in re determinare poffe; valde enim variat pro circumftantiis. Attamen pro certo accepi, morbum interdum ultra duodecim annos protrahi. Quid? Quod mihi narravit expertus in Norvegia medicus, ad viginti annorum fpatium et ultra, prolongatum effe. Nam junior ætas ejus fævitiam diu fert, fine plenaria flammulæ vitalis exftinctione. E contrario nunquam vidi, vel audivi, folis naturæ viribus medicatricibus fanatum effe, fi tantisper in confpectum venerit, ut dignosci poffet. Remediis igitur idoneis femper opus eft ægrotantibus, fi ab illo liberari cupiunt.

§. 19.

Ex illis, quæ propria edoctus observatione de morbo jam dixi, definitionem ejus talem construere licebit; Elephantiasis Norvegorum endemia est, Cachexia chronica, quæ tuberculis cutaneis in ulcera maligna, crustis, et Squamis sæpe obsita, abeuntibus, cum inflammatione imprimis faucium lenta, tumores et ossium cariem efficientibus, se prodit, comitante anæsthæsia, vocis immutatione, et oppressione pectoris, nullisque remediis, vulgo cognitis, ex toto cedit, unde sibi relicta morte semper terminatur.

Caput secundum.

Varii Auctores contemporanei, qui Elephantiasin descripserunt.

§. 1.

Priori capite Elephantiasin norvegicam delineare tentavimus, qualem propria observatione cognoscere licuit. Nunc variorum ejusdem morbi descriptiones enumerando, propius ad metam accedere cupimus, ut vera morbi natura detegatur. Sunt vero septentrionales medici, qui principem promerentur locum, inque his primum celeberrimus D. H. Möllerus, medicus provincialis Scheenensis, qui has notas morbo

morbo tribuit: *Color faciei est pallidus, flavus, sæpe nigrescens cum vultu subtumido, vel macro lurido. Gingivæ putridæ, maculæque diversi coloris in suris potissimum, ut et in aliis corporis partibus apparentes. Respiratio anhelans, difficilis et brevis. Omnis generis hæmorrhagiæ, vel sponte, vel ex levissima causa prorumpentes. Langvor et asthenia membrorum insignis mane, et continuum cubandi desiderium. Efflorescentia minus vel magis humida, quam intolerabilis comitatur pruritus, noctu præcipue infestans. Parva atrorubra livida tubercula, magnitudine nucis avellanæ, solitaria, sed non gregaria, brachia et pedes, interdum totum corpus, occupantia, in quibus pus genuinum nunquam generatur. Spongiosa, inæqualia, sangvinolenta, corrodentia ulcera, tantæ interdum magnitudinis, ut integrum occupent membrum. Alia adhuc ulcera manantia ejusdem indolis, ad taleolos pedum internos interdum observantur. Ulcera corrodentia, cancrosa quæ palatum corripiunt, tonsillas et uvulam, reliquaque postrorsum in faucibus sita exedunt. Membra contracta, imprimis poplites, et interdum omnia membra. Dolores arthritici sæpe in unico genu, interdum in ambobus, vel in toto corpore hærentes, vel vagi, vel ad articulos residentes. Hydrops sæpius pedibus solum, nonnunquam vero abdomine et pectore inhabitat, qui maculis scorbuticis jam comitatur, jam his notis caret. Grandes spongiosæ excrescentiæ,*

*caput infantis magnitudine referentes. Colieæ quædam ſpecies, quæ morbo ſcorbuti nomen impoſuiſſe fertur, bodie non adeo vulgaris. His, præter multa alia ſymptomata, annumerari meretur fætor ex ægrotantibus teterrimus.**)

Hæc ſunt ſymptomata, quæ celeberrimus auctor morbo tribuit, qui cauſas mali in genere easdem ac nos agnoscens, illas in ſpecie applicat diverſis morbi hujus ſpeciebus, quas acrimoniarum diverſam naturam rimando creat, quod opus; quantæ ſit ſagacitatis, induſtriæ, et pretii unicuique patebit, qui reputare vult, quam difficile eſt, quamque utile, et in praxi medica magni momenti, talem de hoc morbo et congeneribus tenere doctrinam, atque methodum ſuam medendi ad normas inde fluentes inſtituere. Interea pace clariſſimi hujus viri monere mihi liceat, quod conſultius egiſſe videatur, ſi morbum pro ſcorbuto non habuiſſet. Inde enim fit, ut characteres in ſcorbuto maxime evidentes, putredinem gingivarum puta, et maculas lividas, quos ab initio huic Norvegorum morbo adſcribit, veritatis amore adductus eosdem illi adeſſe ſtatim neget; ut taceceam

*) Dr. H. Møllers Forſøg til det norſke Folks Sundhed. I det Kongel. norſke Videnſk. Selſk. Skrifter. Kbh. 1784.

ceam hæmorrhagias, contracta membra, dolores Arthriticos, Hydropes, et Colicam, quæ omnia rariſſime, ut hujus morbi ſymptomata, in Norvegia obſervantur, quamvis morborum tales dari poſſe complicationes non inficias eam.*)

§. 2.

SECUNDAS ab hoc tenet, vir ſumme reverendus, Norvegiæ gloria, et orbis literati decus, Profeſſor doctiſſimus atque eruditiſſimus H. Ström, qui decem obſervationes de Elephantiaſi Norvegorum, ſolita ſua modeſtia, ſinceritate et induſtria, captas et concinnatas nobiscum communicavit. Ex his varia morbi ſigna characteriſtica colligere poſſumus, quæ eadem ſunt, ac illa, de quibus capite primo paulo fuſius egi.**)

§. 3.

INCIDIT, præter inſignes hos auctores, in manus meas libellus de Elephantiaſi Norvegorum, à Dno. Th. B. Krog conſcriptus, qui morbi conſvetas notas, et præterea nihil attentione

B dig-

*) Dr. Møllers Forſøg til det norſke Folks Sundhed. I det Kongl. norſke Videnſk. Selſk. Skrifter. Kbh. 784.

**) Anmærkninger til Oplysning om den ved Søekyſterne i Norge gængſe Spedalſkhed. ibid.

dignum continet, unde ejus verba et ſententias adferre ſuperſedeo.*)

§. 4.

Hos ſcriptores Norvegos ſequitur Clariſſ. Ant. Rol. Martinus, qui teſtis morbi hujus oculatus, ſequentia linguâ ſvecâ in publicum edidit.

Lepra in Norvegia adeo eſt vulgaris, ut ſummus regnorum Gubernator pro tali morbo correptis ad, ſupremum usque diem alendis publica Noſocomia inſtaurare neceſſe duxerit. Numerus talium Leproſorum in Noſocomio Nidroſienſi, Romsdalenſi et Bergenſi ad centum et quadraginta excreſcit. Leproſus ſequentibus notis vulgo dignoscitur. In carne tubercula, lentibus non prorſus disſimilia, ſentiuntur, quæ rarius ſuppurant; cutis maculis lividis conſperſa corrugatur, ſæpiusque in ſquamas diſſolvitur; corpus marcescit; facies pallescit et alteratur, ciliaque decidunt. Cum mibi in Noſocomio Bergenſi multos Leproſos conſpicere contingeret, curſui morbi cognoscendo tantam navavi operam, ut quadam tenus jam valeam ejus ſtadia determinare.

Stadium primum. Circa prima morbi hujus initia ægrotans paulatim marcescere, et contabescere

*) Betragtning over den i Norge, iſær Bergens og Trundhiems Stifter ſtærkt graſſerende Spedalſkhed Sygdom. Bergen 776.

cere incipit. Intera facies fit pallida et cachectica, sed simul, cute paululum inflatâ, et intus tactu tuberosa, splendescit. Hoc symptoma in fronte, superciliis, genis, collo, brachiis et femoribus præcipue observavi. In unico adhuc animadverti nonnullas elatas et inæquales maculas, vitiliginibus non multum dissimiles. Tubercula jam memorata in tenella ætate non adeo elevantur, ut in adultioribus, in quibus glandes magnitudine sæpius æmulantur. Rarius ista recte suppurant, sed manent maximam partem dura, vel replentur sangvine, interdum etiam materia ichorosa. In aliis evenit, ut puris aliquid in iis generetur, tunc id loci tuberculum remanet plumbei coloris, cutisque circumjacens simul fit rugosa, vel squamis referta. Tanquam tuberculum, uti dictum est, interdum suppuret, pus tamen, nec adjacentia corrodit, nec ullum pruritum excitat.

Stadio secundo tubercula per universum corpus, imo ad plantas usque pedum, se extendunt; illa in ætate provectis in membrana oculi conjunctiva observavi.

Quidam oedomate pedum jam afficiuntur. Alii ab hoc malo sunt immunes, imprimis qui teneræ sunt structuræ. Cilia hoc stadio ex pleris-

que excidunt, sed capilli non ita. Palpebræ, labia, et palatum pallescunt.

Stadio tertio integer nasus quasi contrabitur, adeoque arcte ad faciem comprimitur, ut ægrotantes inde rauci et sibilantes difficulter spiritum ducant. Tubercula ad nares et labia in tantum disrumpuntur, ut ipsa caro excidere putetur, licet communissime ichore et materia sangvinolenta sint repleta.

*Priusquam morbus circa hoc stadium perveniat, anni plerumque duodecim vel quatuordecim excurrunt. Heu! exempla ærumnarum tristissima, quibus mortales subjecti esse possunt. In conventibus hi miselli collapsas nares et rimosa labia occultare affectant.**)

§. 5.

Ita hic auctor de morbo Norvegorum leproso loquitur, additque in Svecia eundem grassari, quod vir clarissimus, Doctor et Assessor Regii Collegii medici J. L. Odhelius etiam testatur. Ille enim in regio Nosocomio seraphimorum per duodecim annos medicus, insigni

*) Anmärkningar öfver den så kallade spitelska Sjuk og Boskap i Norrige. I Kongl. Svensk. Vetensk. Handl. Aar 760. 4de Quart.

figni experientia edoctus, de Lepra hæc breviter monet. *Nullum fere malum hoc morbo tædiosius est medico. Immedicabilis ad hæc saltem tempora vires ægrotantis hectica febre enervat, mortemque ei per parvos, sed atroces accelerat gradus, remediis nihil efficientibus, quotquot adversus eum adhibere conamur.**) Nec sine insigni culpa, dum sermo est de doctis in Svecia de hoc morbo auctoribus, reticeri potest Eques perillustris, experientissimus æque ac doctissimus Archiater de Bæck. Hic epistola eleganter conscripta de Leprà Islandorum ad virum summe venerabilem Dn. Unonem de Troil hunc morbum pro vera habet Elephantiasi. In iis autem quæ ad descriptionem ejus strictissime pertinent Dni. Jonæ Petri filii sententiam confirmat, unde verba illius adferre vix opus est.**)

§. 6.

Non modo autem in Norvegia et Svecia hunc morbum habitare observatum est, verum etiam in Islandia inque insulis Færoensibus. De scorbuto Islandorum, qui Elephantiasis potius nominari meretur, eruditus medicinæ Studiosus Jonas Petersen tractatum concinnavit, in

 quo

*) Rön om Lepra. Kongl. Svensk. Vetensk. Akad. Handling. Aar 774. 3die Quart.

**) Reisa til Island 1772. 24 Bref.

quo morbi ejus caufas, fymptomata, prognofin et remedia exponit, cafusque adjicit. Ex his ea tantum excerpere fufficiat, quibus opus eft ut intelligatur, morbum Islandorum leprofum eundem effe ac illum, quem delineandum fuscepimus.

§. 7.

Morbi hujūs figna dividit clariffimus vir primum in antecedentia et confequentia. Illa morbum per longum fat tempus præfagiunt, hæc eum jam præfentem comitantur. Signa morbum præfagientia funt : Spiritus oris fætens, appetitus multus et perverfus, fitis infignis, fegnities in quibusdam ægrotis, et fomnolentia, Dyspnæa, fi per acclivia greffum accelerant; nec plenum in poplitibus robur habere videntur, quamvis de eo ab initio non conquerantur. Quando aëri frigido fe exponunt, facies glaucum et plumbeum contrahit colorem. Omnes fenfus, excepto auditu, hebescunt. Crines in fuperciliis imprimis, ac in mento barba rarescunt. Cutis expanfa fplendescit, quafi febo effet illita. Pauci fcabiem ubivis in corpore patiuntur.

§. 8.

Signa morbūm concomitantia diverfa funt pro diverfis ejus ftadiis. Hæc vero tria ftatuit Auc-

Auctor. Primum ab initio morbi extenditnr usque dum tumores et ulcera, vel tubercula cutanea apparent. Secundum ab hoc tempore usque dum iſta phænomena exaſperata erumpunt. Tertium ab hinc ad mortem usque durat.

§. 9.

Stadium morbi primum duplici modo incipit. In quibusdam ſubjectis ſcabies flava, viridis, tres vel quatuor annos perdurans apparet, quæ pedes et manus plerumque occupat. Interea ægrotus, uti tabidus, marcescit, color faciei fit jam pallidus, cachecticus, jam pallide lividus vel glaucus, cutis vero ſemper ſplendescit. Poſtea ſcabie decidente, tubercula digiti transverſi, $\frac{1}{3}$ ad $\frac{1}{4}$ per diametrum ampla, pedes, femora, brachia et faciem deturpant. Animadvertitur ſimul tumor cum doloribus, ubicunque tubercula ſunt, qui ſiniſtrum femur ſæpius occupantes, in lecto ob calorem augentur adeo, ut ſenſum parti affectæ adimant, et, ut quidam ægrotantes ſe exprimunt, intime juxta oſſa hæreant. Anima ægre ducitur, vox alteratur.

Alii à ſcabie immunes, ſed plethorici, in facie livescunt, ſenſimque tumescunt. Hi tumores vel omnia ſupra memorata loca occu-

pant, vel ex illis nonnulla, uti pedes et faciem, vel faciem et manus, vel interdum frontem et ſupercilia. Unacum his tumoribus tubercula ſupra dictis paulo majora, proveniunt, anima fætet, noctuque humor rubicundus è naribus manat, qui conglebatur iterum, licet eximatur. Sequenti que nocte refluit, atque reſpirationem impedit. Hac tempeſtate interdum erumpunt ulcera ampla et profunda, è quibus ichor in ægrotorum ſalutem continuo promanat, nam ſi conſolidantur hæc ulcera, vel ſtatim graviore vi erumpunt, vel eo citius mors pulſat tabernam.

§. 10.

Stadio ſecundo memorata prius ſymptomata magis innotescunt et augescunt. Tubercula in medio elevata livida, cum effluxu materiæ ichoroſæ, ab initio non corroſivæ, aperiuntur. Inter tubercula cutis maculis albicantibus ſqamoſis notatur. Iſtæ vix totum corpus ſimul occupant, locumque inter ſcapulas quadratum intactum relinquunt. Reſpirationis difficultas vocem loqvelamque impedit, unde ob ſonum vel à cæcis dignoscuntur ægri, gingivæ tamen ſatis ſunt robuſtæ. Pedes noctu valde dolent, imprimis in ſangvineis, et ſangvineo cholericis, ſi homines hujus temperamenti, quod raro fit, morbo iſto afficiuntur. Pedes jam oedemate

affligun-

affliguntur. Pili decidunt, et ob tumorem rarescere videntur. In nonnullis cutis ſine ingentibus tuberculis exaſperatur, ſed eorum loco inſignia et tetra contrahit ulcera cum fiſſuris, quæ graviter fætent. Scabies ex flavo viridis tumoribus et rhagadibus manus obſidet, quæ ſquamas imbricatim poſitas refert, ut manus quaſi pedes aquilarum appareant.

§. II.

Tertio morbi ſtadio D. Martinum ſequitur noſter auctor, additque materiam, quæ nunc de corpore fluit, tantæ eſſe acrimoniæ, ut non modo corpus verum etiam veſtimenta ægrotantis exedat.*) Cæterum durationem morbi ad quatuordecim annos prolongat, eumque primo et ſecundo ſtadio non eſſe contagioſum putat, tertio vero de contagioſa ejus natura non dubitat.

*) Centenos et ultra mihi videre contigit Elephantiacos dum in Islandia vixi, fidemque auctori in multis eo firmiorem habere poſſum, cum ex allatis pleraque ipſe viderim. Sed vidi adhuc in Prædio Gardis Leproſum, ex quo membra, digiti nimirum manuum pedumque articulatim excidebant, unde miror quare eruditus noſter Peterſen de diro hoc morbi ſymptomate tacuerit.

§. 12.

Auctor noſter ſupponit illam humorum corruptionem, de qua jam agitur, produci vel ab acrimonia alcalina, vel acida. Illam adeſſe judicat cum ſangvis è vena ægrotantis miſſus eſt læte ruber, tener valdeque fluidus, qui non, ut vulgo fit, coagulatur ſed ſtatim foetet. Hanc vero prædominare cenſet, ſi miſſus ſangvis ſit ater, vel ex atro ruber, qui nihil ſeri dimittit. Hunc interdum, illum vero ſæpiſſime in Lepro- ſis obſervari dicit.

§. 13.

Quoad cauſas morbum dividit in hæreditarium et acquiſitum: hæreditarius in eo ab acquiſito eſt diverſus, quod tenerrimæ ætati nec parcat, nec triceſimum annum tranſire ſinat. Cæterum in cauſis morbi occaſionalibus enumerat aërem, non modo frigidum et humidum, verum etiam torridum, tepidnm et ventoſum; adjungit denique vilem, perverſamque diætam, vivendique rationem.*)

§. 14.

Huic non inepte addi poteſt viri doctisſimi J. G. Königii Elephantiaſeos Islandorum brevis delineatio, quam Lepram ſparadicam vocat

*) Afhandling om den Islandske Skiørbing. Sorøe 769.

vocat et his verbis defcribit. *Quantum ego meis ex obfervatis conjicere poffum, præcipuam morbi indolem in ftagnatione et induratione humorum in cutaneis vafis Lymphaticis quærendam effe credo, originemque initio affectæ membranæ pituitariæ debere, indeque ulterius in cutem propagari. Prima, anno antequam apparuerit, uno alteroque, morbi adventuri figna è fingulari nec imitabili vocis fono defumunt periti. In cute fequentur mox tubera absque inflammatione, adeoque nullo, nifi gelu affecta. Omnes ejusmodi ægrotorum fenfus imprimis vero tactus hebetantur. Ulcera vix fanabilia inflamationes membranæ pituitariæ, cui plerumque pleuræ adjungitur, morbum et vitam terminant.**)

§. 15.

Dixi fupra Elephantiafin in Infulis etiam Færöenfibus obfervatam fuiffe, quod viri multum reverendi Præpofiti L. J. Debes relatio ita teftatur. *Elephantiafis in infulis Færöenfibus frequens, ex victu et aëre, has habet notas. Facies et artus hic fere ubique foedantur fædum in modum. Rauci funt hoc morbo affecti, et per nares vocem emittentes. Vere et autumno invalescens morbus pluri-*

*) Differtatio Inaugur. de Remed. Indigen. Efficacia.

*plurimos enecat.**) Sed his temporibus morbum ibi valde exolefcere confirmarunt mihi multi integræ fidei juvenes, qvi in his infulis nati, una mecum in Academia noftra Hafnienfi literis incumbebant.

§. 16.

JAM Septentrionalis Europæ præcipuas morbi hujus defcriptiones audivimus. Foret igitur à fcopo noftro haud alienum, non nullos in reliqua hac mundi plaga fuper eodem negotio medicos recenfere, ut elucescat eundem morbum in aliis quoque regionibus obfervatum effe. Ita cum illo, quem delineavimus, apprime convenit, quem Clariffimus inter Gallos medicus Reymond in propria praxi tractavit; et cui etiam nomen Elephantiafeos docte vindicavit, fequentia autem Symptomata obfervavit. *Vox, inquit, rauca et fepulcralis, facies tuberculis cruftofis, denfis, fiffis obfita, in reliquo corpore fimilia tubercula, fangvinem interdum fundentia, nares in fuprema nafi parte obftructæ, fupercilia inflata et pilis orbata, cutis fiffa, et dolores ardentes.***) Siquis plures hujus nationis fcriptores de hac re defiderat, adeat, qvæfo, illuftriffimos viros,

*) Farsernis Beskrivelse. Kbh. 1673.

**) Traité de l'Elephantiafis. Lauf. 1767.

viros, A. C. Lorry, et F. B. Sauvages. Mihi enim pro inſtituti ratione ſufficiat, unicum illum virum nominare, qui morbum et vidit ipſe, et tractavit.

§. 17.

Nec Germaniæ deſunt magni viri, qui Elephantiaſin ſecundum autopſiam deſcripſerunt, equibus unum, Celeberrimum nempe R. A. Vogel adferens lectori ſatisfaciam, qui morbum his characteribus inſignivit. *Initium fit à crebris maculis, tertio genere impetignis* (§. 703) *quæ aliquandiu ante temporibus certis et fiunt, et deſinunt; aut certe à vitiliginoſis qvibusdam defœdationibus aliquamdiu pariter prægreſſis. Poſthæc ſenſim lenteque ſumma cutis, primum in facie et collo, quod plerumque fit, vel in alia parte corporis, ac deinceps in pluribus, aſperitudine quadam et Scabritie pruriente non ſolum afficitur, ſed et inter maculas diverſæ magnitudinis, partim rubentes, partim fuſcas, tubercula rubra oriuntur, orbicularis et convexæ figuræ, rubra vel fuſca, quæ ſenſim elevantur et vehementer dolent. Exulcerantur nunc quoque, utut diverſis temporibus, tum hæcce tubercula, tum iſtæ maculæ, ſic, ut ex illis purulentus aliquis humor, idemque ſumme foetidus, ex his autem magis ſanies exeat. Exulceratio utrobique quam lentiſſime procedit,*

humor-

*humorque putidus super tuberculis in crustas duras atque densas abit, super maculis vero in squamas. Idemque sub crustis, antequam decidunt, diu hæret, ipsasque sibi subjectas partes erodit. Inter hæc autem os, suræ, pedes, manusque intumescunt, et corpus lente macrescit. Accedunt malarum rubor, aspritudo, et exculceratio earundem scabiosa, somnus turbulentus, vigiliæ, anorexia. Et, ubi jam vetus morbus est, atque unum, vel alterum, imo plures annos duravit, oppressio pectoris, dolores graves in artubus, stupor atque rigor crurum, alvi profluvium, tandemque febris, quæ facile tot malis obrutum hominem consumit et interimit.**) Apprime hanc descriptionem, quoad characteres morbi essentiales, convenire cum illa, quam superiore capite ex propria observatione depromsi, nemo non videt.

§. 18.

Quæ in aliis Europæ regionibus, aliisve orbis partibus nostro ævo circa Elephantiasin et Lepram observata et descripta sunt, vel cum illa, de qua nunc agitur, Elephantiasi minus conveniunt, vel, quoad morbi ulteriorem delineationem tam parvam lucem adferunt, ut vix

*) Prælect. Acad. de cognosc. et cur. præc. C. H. Af. fect. Cap. de Elephantiasi.

vix fit operæ pretium in fingulis auctoribus adducendis tempus terere. Sicco adeoque pede præterire liceat doctum Cl. Schillingii Opusculum.*) Schmiedelii et Voigtii Differtationem**), et multa alia.

Caput tertium.

Varia eruditorum judicia circa Elephantiafin Norvegorum endemicam, ejusque naturam.

§. 1.

De rebus incertis, qvarum naturam, modum et veram indolem mortalibus detegere adhuc non contigit, tritum illud et ufitatum valet proverbium: *Tot fententiæ, quot capita.* Idem etiam valet de eruditorum fuper Elephantiafi Norvegis endemica, judiciis. Harum autem fententiarum diverfitati anfam præ cæteris præbere videntur, diverfa eum fanandi conamina diverfusque iftorum fucceffus. Quippe qvod unum juvit, alteri eadem labe affecto nullum præ-

*) De Lepra Commentationes. L. B. 1778.

**) In Collect. Haller. Differt. med. pract. Vol. VI. pag. 63.

præſtitit Solamen. Unde incerta et vacillans ad hunc usque diem manſit medendi methodus. Cum vero meum propoſitum poſtulet, ut quorundam ſaltem auctorum opiniones adferam et ad examen revocem, liceat diverſas illas ſententias, qvotqvot colligere potui, in qvinqve claſſes diſpescere, qvas enumerando illum ordinem ſeqvar, ut initium faciens à minus probabilibus, ad probabiliores progrediar.

§. 2.

SECUNDUM hunc ordinem primas merentur, qui putant vermes ſolummodo eſſe Elephantiaſeos ſeptentrionalium efficientem cauſam. Hi ſuam hypotheſin nullis argumentis veræ experentiæ ſuperſtructis confirmant. Nec attentiſſimis naturæ ſcrutatoribus *) tale quid videre contigit. Unde ſine ulteriore examine eos dimittere fas ſit.

§. 3.

SUNT adhuc alii qvi ab invicem maxime diſſentiunt. *Hi* enim morbum dicunt eſſe mere venereum. *Illi* autem mere ſcorbuticum. *Priores* ſilentio non ſunt prætereundi, quaſi attentione indigni eſſent, utcunque parum cum vera

*) H. Stroms Anmærkninger om den Norſke Spedalſkhed. I det Kongl. Norſke Videnſk. Selſk. Skrift. Kbh. 784.

vera Theoria vel ſana praxi conſentiat iſta doctrina. Fieri tamen poteſt, ut ſint, qvi fidem ipſis præbeant, imprimis illi, qui præjudicio auctoritatis ſeſe decipi patiuntur.

§. 4.

ATTENDANT autem dictæ ſententiæ patroni ad ſequens argumentum. Ponamus morbum eſſe mere ſyphiliticum; qui fit, ut iſte nec ſigna luis pathognomonica oſtendat, ut ſtatim elulescet, nec magno ejus antidoto cedat? Tuto enim negare audeo cum experentiſſimo D. Odhelio, et Profeſſore celeberrimo Murray, Elephantiaſin unqvam ſolis mercurialibus fuiſſe ſanatam, quod etiam experientiſſimus D. D. Arbo et multi alii teſtantur, qvanqvam vir doctiſſimus D. H. Mullerus, qui morbum alias pro ſcorbuto habet,*) Ill. Lieutaud **) et nonnulli alii uſum hujus remedii extollant, quod forte intelligi volunt de ſic dicta methodo mixta, tunc enim mercurius aliquid boni interdum præſtare poteſt; ſimpliciter autem adhibitus, morbum tantummodo palliat, quo brevi poſt reverſo, ægrotus inſanabilis perit. Erit igitur ad hanc opinionem verbis immortalis Thomæ

C Bar-

*) l. c.

**) In Synopſ. Prax. med. T. I. Artic. de Lepra.

Bartholini refpondendum, dum fermo ei eft de fcorbuto Islandorum. *Quia fymptomata quædam, inquit, cum lue venerea convenire videntur, Dithmarus Blefkenius in Islandiæ defcriptione, five odio gentis, five ignorantia rerum, luem veneream ibidem graffari minus vere fcribit.**) Horum autem verborum veritatem hiftoria confirmat: lues enim poft annum 1750, diro omine invecta, in Islandia primum aoparuit.

§. 5.

Si e contrario morbus effet mere Scorbuticus, non modo Symptomata Scorbuti confveta adeffe deberent, verum etiam per fola antifcorbutica, ægroti in integrum cum fanitate reconciliarentur, qvod nunquam fieri tristis docuit experientia. Multi tamen ineptum nomen non modo retinent, verum etiam doctrinam fuam de Elephantiafi Norvegorum minus veræ opinioni fuperftruunt, qvibus iterum accenfendus eft laudatus D. D. Möller. Hic licet multa pulchre et veritati confona fcripierit, ob retentum tamen fcorbuti nomen, et theoremata illi innixa, cum grano falis eft legendus.**)

Doctum

*) Med. Dan. Domeft. Differt. 4ta.

**) l. c.

Doctum autem virum et alios qui ita ſentiunt, facile in hoc discrimen inducere potuerunt ſua auctoritate viri in Europa maximæ famæ, qui Elephantiaſin ſummum ſcorbuti gradum eſſe ſtatuerunt, de quibus perilluſtris Archiater de Bæck ita ſenſit. *Senito quoque, quod Etmüllerus, æque ac inſignis Boerhavius et famigeratus ejus, Commentator Dominus Baro de Swieten conſultius egiſſent, ſi Elephantiaſin pro ſummo ſcorbuti gradu nec habuiſſent, nec hos morbos principio, curſu, natura, et remediis prorſus diſſimiles confudiſſent, quod Dnus. Peterſen autopta et judex hujus in Islandia morbi in exiguo, ſed bene concinnato, tractatu ſuo attingere videtur.**) Non ideo diffiteor ſententiæ hujus fautores propius ad veritatem accedere, quam priores, qui malum eſſe ſyphiliticum contendunt, quod auctoritate modo laudati magni viri Th. Bartholini confirmo. Serio enim monet iſte, morbos in ſeptentrione aliis gentibus nobiſcum communes, ſcorbuto, uti morbo inquilino, eſſe adſociatos, atque in his ſanandis ejus ſemper habendam eſſe rationem **), quod de Elelephantiaſi Norvegorum endemica valere quoque videtur.

*) Troils Reſa til Island. Aar 1772. Pag. 313.

**) Med. Danor. Domeſt. Diſſert. Tertia.

§. 6.

Venio jam ad illa eruditorum de hoc morbo judicia, quæ longe majorem probabilitatis speciem præ se ferunt, quam allata duo. Sed gravitas argumentorum non æqui est ponderis, ut statim elucescet. Dantur nempe qui morbum putant esse venereo-scorbuticum. Dantur alii qui illum ad Lepram Arabum, sive Elephantiatiasin Græcorum pertinere autumant.

§. 7.

Speciosa multum, et à vero non adeo aberrans illorum videtur esse opinio, qui fatalem morbum ex lue venerea et scorbuto prognatum esse volunt. Symptomatum enim prodromus, qui morbum vulgo comitatur, in hybrido tali monstro facile exspectari potest. Præterea gravissima morbi Symptomata quam plurima, ut et medendi difficultas, ex hac complicatione quodam modo explicari possunt. Sed non desunt rationes satis ponderosæ, quæ huic opinioni justo minus favent. Syphilis nempe Genitalia ab initio sæpissime infestat, ulcusculis, phimosi et paraphimosi, tumoribusque testiculorum venereis, ficubus, et ulceribus; in morbo autem quem delineavimus, sæpissime si non semper desunt, quod beneficio commixti scorbuti adscribere non ausim, sed diversæ potius

morbo-

morborum naturæ. Syphilis ſyſtemati lymphatico, et glandulis inguinalibus, axillaribus, parotidibus, et aliis majoris notæ præcipue inhabitat. Morbus vero de quo agimus musculos potius vexat. Syphiliticum quidem malum interdum quoque ulcera cutanea creat; plerumque tamen magis ſuperficialia quam profunda, nec ichoris acerrimi tam plena, uti in morbo quem deſcribimus. Homo malo, de quo agitur, infectus, cum ſano vivere et commercium naturale exercere poteſt, ſine evidenti noxa alterius, quod ſyphiliticis vix ſuccederet. An admixtus ſcorbutus cauſa eſt hujus immunitatis à contagio? Credat Judæus Apella. Nam nullum aliud obſervatum eſt exemplum, morbum venereum, ullâ complicatione usque adeo mutatum eſſe, ut dira ſua dote ſanos inficiendi orbaretur.

§. 8.

Præterea contendunt, qui memorâtam hanc opinionem amant, morbum ſanari poſſe, ſi antiſcorbuticis primum adhibitis, mercurialia in uſum vocentur. Hoc autem vix, ac ne vix qvidem, experientia nititur. Neque iſte error practicus amplius eſt fovendus. Nam ſi verum eſſet, morbum hac methodo tolli, iſte profecto non tantum negotii, ut vulgo fit, prac-

ticis in Norvegia medicis facesseret. Quotus enim quisque est, qui huic malo mederi callet? Pauci, qui minus infelices sunt, suam methodum in arcanis habent. Vidi ruricolam morbo detentum, quem methodo illa antiscorbutico-antivenerea sanare tentaverat quidam, non infimæ notæ in Norvegia medicus, eo cum successu, ut post salivationem aliquod tempus sublevatus apparuerit ægrotus. Sed elapsis tribus mensibus, meum imploravit auxilium, omnibus fere symptomatibus, morbo propriis afflictus. Asthma ad huc grave humidum respirationem supprimebat, oris vero interiora ut et fauces, carnem elixam referebant.

§. 9.

Ut brevis sim, quantum ex viris publici officii fide dignissimis didici, usus mercurialium in Elephantiasi endemica nunquam vere juvat, sed potius ingenter nocet. Temporarium fugacissimumque levamen a salivatione nihil probare, non est, quod moneam.

§. 10.

Cadit etiam illorum opinio, qui putant morbum hunc esse venereo-scorbuticum, si consideremus, quam absonum sit, hanc complicationem tantum modo in ultimis borealibus terris dari,

dari, non vero in iis regionibus quæ tepidiore climate fruuntur, parentes licet, lues nimirum, et ſcorbutus ibi occurrant. Rationem hujus rei reddere nequeo. Verum e contrario expertus fateor, inter ſeptingentos circiter ægrotantes, qui in Norvegia conſilium meum petebant, non niſi duos me obſervaſſe venereos, et unicum tantum ſcorbuticum, ſed Elephantiacos quatuordecim.

§. 11.

Ex his quæ jam dixi, elucescit, quot et quam graves ſint illæ rationes, quæ diſſvadent ab accipienda illorum opinione, qui ſtatuunt morbum ſimul e malo ſyphilitico et ſcorbuto eſſe compoſitum. At vero inficias ire nolo, quod interdum reapſe dari poſſit combinatio luis. venereæ cum Elephantiaſi Norvegorum endemica. Quod tamen rarius evenire opinor.

§. 12.

Sin igitur memoratæ medicorum Sententiæ de hujus morbi natura tam infirmo ſtent talo, vt nulla earum pro ſufficiente et adæquata accipi poſſit, hoc unicum reſtat, ut trutinemus illorum opinionem, qui morbum ſtatuunt eſſe veram Arabum Lepram vel Græcorum Elephantiaſin. Non dubito, ſat gravia nos allaturos eſſe argumenta, quibus evincatur, hanc

opinionem præ reliquis esse accipiendam, morbumque nequidquam pro novo genere habendum.

Caput quartum.

Nonnullæ Elephantiaseos descriptiones, ex antiquorum Medicorum scriptis desumtæ, cum antecedentibus comparatæ, adjectis conclusionibus.

§. 1.

CUM jam dijudicanda sit illorem opinio, qui morbum hunc Norvegorum pro Elephantiasi habent, id nobis agendum est, ut nonnullos adducamus ex antiquis medicis, eorumque verba circa Elephantiasin audiamus. Comparatis enim his delineationibus cum illa, quam ego ex autopsia dedi, cumque illis quas alii Medici septentrionales, in capite secundo allati, dederunt, apparebit, quanta inter characteres Elephantiaseos ab antiquis auctoribus descriptæ, & morbi, de quo agimus, detur convenientia.

§. 2.

PRÆTERMISSO patre Hippocrate, qui Elephantiaseos vix facit mentionem, secundum audiamus Artis medicæ principem, Aretæum nempe Cappadocem. Pulcram iste nec minus prolixam memorati morbi descriptionem nobis reliquit summus vir sequentibus verbis. *Magnus est quidem potentia morbus, ad mortem enim inferendam est omnium longe efficacissimus. Est etiam visu fædus, et in omnibus terribilis, quem admodum et elephas bellua. Inevitabilem quoque affert interitum: Quandoquidem à mortis causa ducit originem. Ea, ingeniti caloris frigiditas est non exigua, vel potius congelatio, ceu quædam sæva hyems: quum aquam in nivem, aut etiam grandinem, aut crystallum, aut glaciem convertit. Hæc est communis mortis ac morbi causa. Verum tamen neque ullam insignem conjecturam morbi principium obtinet: neque ulla nova atque inusitata labes hominem incessit. Neque in corporis summis partibus repræsentatur, ut protinus videre quis possit, et incipienti malo resistere. Sed in visceribus (tanquam domo Plutonis) delitescens ignis jam succenditur, internorumque victor, rursum in superficie aliquando exardescit. Plerumque sane à facie hæc pestis incipiens, tanquam ignis de specula procul conspicuus effulget: Nonnullis vero ab extrema cubiti curvatura, à genu, à ma-*

à manuum pedumque articulis. Idcirco autem hujusmodi hominum ſalus deſperata eſt, quoniam medicus ad morbi debiliſſima initia artem non adhibet, negligens, et ægrotantium calamitatis ignarus. Tardi enim ſunt, ut ab aliqua levi et vulgari cauſa, ſomniculoſi, quieti, ſicca alvo. Hæc etiam ſanis haud valde inuſitata ſunt. In morbi autem crementis reſpiratio grave olet ob interni ſpiritus exhalationem. Hujusce rei aër, aut quippiam aliud extrinſecum, cauſam præbere videtur. Lotium craſſum eſt, album, turbidum, quale jumentum reddit. Venerem appetunt, crudorum et incoctorum diſtributio fit: Neque iſtorum eſt ſenſus et meditatio (neque enim concoxerint, nec ne, percipiunt) et cruditas hæc concoctioni ſimilis eſt. Nam ipſis haud frequens eſt, in optimum aut familiare concoctio, digeſtio vero facile fit, tanquam in ſuum ipſius alimentum raptim morbo attrahente. Propterea valde ſiccitate inferioris ventris laborant. Tumores alii juxta alios exurgunt, nondum quidem continui, ſed craſſi et aſperi: Et interſtitium tumorum diſciſſum eſt, ut Elephantis corium. Venæ latæ ſunt, non ſangvinis redundantia, ſed cutis craſſitudine. Non multo poſt autem et ſedes declarat, univerſo corpore in æqualem tumorem diſtento. Pili in omni corpore præmoriuntur, in manibus, femoribus, tibiis. Item in pube, in mento rari ſunt: Rara quoque in capite

pit caesaries. Quod vero majus est, intempestivi cani et calvitium affatim subitoque ingruunt. Non multo post autem pubes et mentum glabrescunt. Quod si qui pauci pili remaneant, hi magis dedecent, quam qui defluxerunt. Capiti cutis altius rescissa est: Rimae autem frequentes, profundae, asperae sunt. Tumores in facie duri, acuti: Nonnunquam fastigio albido, basi viridiore: Pulsus pusilli, graves, tardi, tanquam per cœnum vix se moventes. Venae temporum distentae sunt, et sub lingva: Ventres biliosi. Lingva grandinosis varis exasperatur. Neque inopinabile est, et omne corpus talibus scatere tuberculis: Quandoquidem et in victimis, pravos humores habentibus, carnes grandinis plenae sunt. Sin autem valde ab intimis partibus erumpet morbus, et in extremitatibus apparebit, impetigines summos digitos infestabunt, Genua prurient, pruritusque cum voluptate scalpetur. Ambit vero impetigo et mentum nonnunquam in orbem. Rubent malae cum tumore haud ita magno: Oculi caliginosi, aenei coloris sunt. Supercilia prominentia, crassa, glabra, deorsum versus pondere vergentia: Contractis glabellis, eminens tumor insurgit. Color lividus aut ater est. Epyscinium vehementer contrahitur, ut oculos contegat, quemadmodum irascentibus aut leonibus accidit: Unde et leonina hæc ægritudo

tudo vocatur. Igitur neque leoni, neque elephanto ſolum verum etiam nocti tenebroſæ æquales ſunt. Sub oculis inſurgentia oſſa, et nares cum atris tumoribus ſalebroſæ, exſtantesque ſunt. Labiorum prominentia craſſa eſt, pars autem inferior livescit, naſus tumet, dentes non albi ſunt, ſed nigricare videntur. Aures rubent, admixta nigritia, obſtructæ, elephanticæ, ut grandiores conſveto eſſe videantur. Ulcera in baſi aurium ſunt: Sanies defluit, pruriunt. Totum corpus rugis aſperis exaratur: Nec non et alte descendunt ſciſſuræ, veluti nigri in corio ſulci. Propterea et elephas huic morbo nomen eſt. Plantarum et calcaneorum usque ad medios digitos fiſſuræ ſunt. Quod ſi plus augescat malum, tumores malarum, menti, digitorum genuumque ulceroſi fiunt, ulcera fœtida ſunt, et inſanabilia: Alia enim ſuper alia exurgunt, ſuper alia alia mitescunt. Siquidem membra hominem diu morte præveniunt, quoad de corpore excidant naſus, digiti, pedes, genitalia, atque totæ manus. Neque enim hæc labes prius perimit, à turpi vita, ſævisque cruciatibus liberans, quam membratim dilaceratus homo ſit. At longæva eſt quemadmodum et elephas animal. Sin autem membrorum recens dolor ſit, longe acerbius affligit. Aliter atque aliter paratorum ciborum appetentia eſt, non obtuſa, ſed guſtatus qualitatis

*litatis expers est: nullaque edendi ac potandi delectatio. Omnia vero ob doloris cruciatum oderunt, alimento privatur corpus, rabiosa inest cupiditas: spontivae sunt lassitudines, singulorum membrorum species hominem gravitate inusitata premit, quantum libet exigua membra sint. Quin etiam corpus omnia gravatim fert: Non balneis delectatur, non illuvie: non cibo, non jejunio, non motu, non quiete. Ab omnibus enim morbus alienus est. Somnus tenuis, vigilia pejor, mala sua cogitans: spirandi vehemens difficultas: suffocationes fiunt acsi lequeo strangulentur. Hoc igitur pacto nonnulli vitam perdiderunt, inexcitabilem somnum in mortem dormientes. Itaque, tales cum sint, quis non aufugiat? Aut quis non aversetur, licet filius, aut pater, aut etiam germanus frater sit? Cum metus est ne, morbus communiceretur.**)

§. 3.

Claudius quidem Galenus Lepram et Elephantiasin tanquam morbos diversos distingvens, hanc ita definit: *Elephas est affectus, qui cutem crassam atque inaequabilem reddit, livor adest tum cutis, tum oculorum albis, exeduntur partes*

*) Libr. 2do. de Caus. et Sign. morb. diuturn. edit. Lugd. Batav. 1735. cur. Boerh. Pag. 69.

partes manuum ac pedum summæ, è quibus sanies livida ac fœtida emanat.)*

§. 4.

Citatis præstantissimis Auctoribus Græcis, latinos etiam adducamus. Et primo quidem audiamus C. Plinium Secundum. Sic habet vir immortalis:

*Diximus Elephantiasin ante Pompei Magni ætatem non accidisse in Italia, et ipsam à facie sæpius incipientem, in nare primum veluti lenticula. Mox inarescente per totum corpus, maculosa, variis coloribus et inæqualitate, alibi crassa, alibi tenui, dura alibi, ceu scabie aspera. Ad postremum vero nigrescente, et ad ossa carnes adprimente, intumescentibus digitis in pedibus manibusque.**)*

§. 5.

Subjungamus A. Cornelii Celsi elegantissimam Elephantiaseos descriptionem. *Ignotus autem pene in Italia, frequentissimus in quibusdam regionibus is morbus est, quem Elephantiasin Græci*

*) Ascript Fin. med. Barthol. Sylvan. Salon. Interpr. Venet. edit. apud Junt. 1625. Fol. 47. H.

**) Hist. nat. Libr. XXVI. Cap. V. edit. Berol. 1766.

*Græci vocant, isque longis annumeratur. Totum corpus afficitur ita, ut oſſa quoque vitiari dicantur. Summa pars corporis crebras maculas, crebrosque tumores habet. Rubor harum paulatim in atrum colorem convertitur. Summa cutis inæqualiter craſſa, tenuis, dura, mollisque. Quaſi ſquamis quibusdam exaſperatur, corpus emacreſcit; os, ſuræ, pedes intumescunt. Ubi vetus morbus eſt, digiti in manibus pedibusque ſub tumore conduntur, febricula oritur, quæ facile tot malis obrutum hominem conſumit.**)

§. 6.

Jam quorundam Græciæ et Latii medicorum Elephantiaſeos deſcriptionem attuli; ſed operæ erit pretium perinde adducere nonnulla, quæ Arabicæ gentis medici de hoc morbo reliquerunt. Hi enim morbum in natali ſuo ſolo viderunt, hinc præ cæteris omnibus ſunt audiendi. Notandum tamen eſt, quod Arabes Lepram nominent morbum, quem græci, Latinique ſcriptores Elephantiaſin nuncupant, quodque Elephas Arabum pro diverſo ab hoc malo affectu ſine dubio eſt habendus. Summus autem vir Rhazes de morbo, ejusque tribus ſtadiis ita loquitur:

Hæc

*) Libr. iij. Cap. 25. edit. Lugd. Batav. 1592.

Hæc ægritudo aut est incipiens, aut jam invasit ex corpore aliquid, aut jam pervenit ad ultimum finium eorum. Signa incipientis sunt, raucedo vocis, et strictura anhelitus, et conturbatio albedinis oculorum, et rubedo faciei, et tuberositas ejus, et paucitas pilorum, et subtilitas eorum, et casus eorum.

Secundum stadium ita describit:

Cum vero hæc ægritudo invadit corpus, et fortior fit raucedo, et facies tuberosa, et curvantur digiti, et deturpatur forma, et spasmantur junctura, et tuberosæ fiunt Juncturæ, tunc hæc cura, quam diximus, convenit ei, et non additur.

De tertio stadio ita habet:

*Quando aut ulceratur corpus, et currit virus, et fætet corpus, tunc cura ejus est, etc.**)

§. 7.

Popularis huic, Princeps et philosophus, *Avicenna* multis, nervosisque verbis morbum hunc describit, ejusque signa explanat. Hæc quanquam scopo meo paulo uberiora sint, in compendium tamen illa redigere vereor, ne quid pulcre dictum, magnique momenti, omittatur. Veniam me igitur obtinere spero, quod singu-

*) Libr. Imo. divis. Cap. 120. Edit. Basil. 1544.

ſingula ejus verba ſequenti modo adferam. *Quando incipit Lepra, incipit color fieri rubeus, tendens ad nigredinem. Et apparet in oculis obfuscatio ad rubedinem declivis: Et apparet in anhelitu ſtrictura, et in voce raucedo, cauſa nocumenti pulmonis, et cannæ ejus. Et multitudo in ſternutatione: Et apparet in naſo gauetu* *) *et fortaſſe fit ſtrictura in naribus et caſſamu:* **) *et incipiunt capilli in ſubtilitatem, et paucitatem pervenire, et apparent venæ in pectore, et parte faciei. Et eſt odor corporis, et proprie in ſudore, et odor anhelitus ad fœtorem declivis. Et apparent mores melancholici, et mali, et doloroſi. Et multiplicantur in ſomno ſomnia melancholica. Et ſentit in ſomno quaſi ſuper corpus ſuum ſit gravedo maxima: Deinde apparet ſparſio in capillis, et caſus in eis ex toto, proprie in pilis, qui ſunt in facie et partibus ejus. Et quandoque dislocatur locus pilorum, et ſinduntur ungves. Et incipit forma fieri fœda, et facies fit terribilis, et color denigratur. Et incipit ſangvis congelari in juncturis, et putreſit. Et additur conſtrictio anhelitus, donec pervenit ad difficultatem vehementem, et diſpniam magnam. Et pervenit vox in fine raucedinis. Et ingroſſantur labia et denigrantur. Et apparet ſuper corpus additio glanduloſa, ſimilis animali, quod græce nominatur ſatos. Deinde*

*) Locutio reſonnans in naſo.

**) Oppilatio in naſo et privatio olfactus.

*inde incipit corpus ulcerari, quando Lepra est non quieta. Et corroditur cartilago nasi, deinde cadunt nasus, et extremitates. Et currit virus fœtens. Et redit vox ad occultationem, et tunc jam non remanent pili, et denigratur color valde. Et pulsus quidem leprosi est debilis propter debilitatem virtutis, et paucitatem necessitatis, cum ægritudo sit frigida et tarda, non velox propter debilitatem frigoris, et fit necessaria spissitudo, cum non sit velocitas, neque magnitudo.**)

§. 8.

At vero iterum relegens eximium Gruneri opus, *Antiquitates morborum* dictum, non possum mihi temperare, quin transcribam succinctam Lepræ Arabum delineationem, ab illustri viro ex optimorum arabicæ gentis medicorum monumentis compilatam. Sunt nempe illius mali signa potiora: *auriculæ attenuatio, fœtidissimus faciei sudor, oris inflatio cum magna et valida rubedine, pectoris frigus tantum, ut moveri nesciant, anhelitus strictura, raucedo vocis aut subtiliatio, cutis asperitas, alteratio coloris, et offuscatio albedinis oculorum, nodi et vestigia in corpore dura et lapidosa. Ingrossantur digiti, et indurantur genua, fit pustulatio superficiei corporis, paucitas capillorum, et tenuitas et depilatio ipsorum: Et augmentatur amissio motus in Extremitatibus, et invadunt*

*) Lib. 4. Fen. 3 tract. Tert. Cap. 2. Tom. 2.

dunt ægrum ſomnia terribilia, et mala ulcera, et cum protenditur tempus, depilantur pili ſupercili-orum, oculorum, et pili naſi, et palpebrarum, et incipit diſtractio naſi, et ejus profundatio, et fætor anhelitus. Signa demonſtrativa perfectionis Lepræ ſatis patent, et non poſſunt latere ſenſus hominum, quoniam alteratur color, et perditur vox, et depilantur pili totaliter, et ulceratur ſuperficies corporis, et fluit ex ea putredo cum vehementia fætoris, et incipiunt cadere extremitates, et lacrymantur oculi &c. His ſubjungere liceat Graviſſimi viri ſententiam de hac Arabum Lepra, et ſolidiſſimum pro noſtra opinione argumentum. *Hæc Lepra, inquit, Arabum videtur nobis Græcorum Elephantiaſis eſſe, qvippe ſimili ſymptomatum caterva circumvallata, quaſi eſt, neque ullum hac in re dubium relinquitur, cum Arabes medici Lepram Græcorum ſeorſim tractarint, Elephantiaſin non item. Nec iujuria. Eſt enim hæc non niſi ſummus Scabiei apud Paulum, et impetignis apud Celſum, gradus, neque ullo modo diſſentit Avicenna.* Albaras nigra, *inquit*, eſt illud, quod nominatur etiam impetigo excorticativa, et eſt Scabioſitas accidens cuti, aſpera, vehemens, et facit ſqvamas, ſicut ſunt piſcium cum pruritu, atque eſt propter humorem melancholicum etc.*) *In quo tanta eſt Græcorum et Arabum conſenſo, nihil ut magis eſſe poſſit.*

 §. 9.

*) Libr. 4 Fen. 7. Tract. 2. Edit. Ven. 1564.

§. 9.

Si quis desideret plura circa Lepram Græcorum, adeat Galenum, qui in suis Definitionibus illam dicit *Cutis mutationem in habitum, qui præter naturam sit, cum asperitate, et pruritibus et doloribus, non numquam et squamis decidentibus, interim secus, plures hæc etiam corporis partes depascitur.**) Ad eamdem Lepram referunt Auctores, quod Celsus habet de Vitiligine. Tres admittit hujus mali species. *Alphos vocatur, ubi color albus est, fere subasper, et non continuus, ut quædam quasi guttæ dispersæ esse videantur. Interdum etiam latius, et cum quibusdam intermissionibus serpit. Melas colore differt, quia niger est, et umbræ similis. Cetera eadem sunt. Leuce habet quiddam simile Alpho, sed magis albida est: altius descendit, in eaque albi pili sunt, et lanugini similes. Omnia hæc serpunt; sed in aliis celerius, in aliis tardius. Alphos et Melas in quibusdam variis temporibus et oriuntur, et desinunt. Leuce, quem occupavit, non facile dimittit.*

§. 10.

Lepram autem Judæorum, Levit XIII. delineatam, quod attinet, vix eam differre à Leuce Celsi, et Albaras alba Arabum, facile patet, si hos morbos sine præjudicio comparemus. Cum Elephantiasi Græcorum saltem confundi nequit, utpote quæ tuberculorum, vitiatæ vocis, aliorumque

*) Ascript. Finit. Fol. 47. Edit. Ven. apud Junt. 1625.

**) Libr. V. ad fin. edit. Lugd. Batav. 1592.

umque ſymptomatum Elephantiaſeos eſſentialium expers fuerit.

§. 11.

Tandem, ne quid relinquamus intactum, quod aliquam ſimilitudinis ſpeciem cum morbo Norvegorum endemio præ ſe ferre videri poſſit, diſpiciamus etiam de Elephantia Arabum. *Iſtud*, dicit Rhaſes, *accidit in pede et crure ita, quod confirmatur valde et magnificatur, et fiunt ibi eminentiæ — et incurrit apoſtema, quod eſt difficilis reſolutionis, et chronicum.**) Ex hoc, uti et aliis auctorum arabum teſtimoniis elucescit morbum fuiſſe localem, varicoſum, ulceroſum crurum pedumque, hinc ab univerſali illo morbo, quem pertractavimus, toto cœlo diverſum.

§. 12.

Sufficiat ex antiquioribus ſcriptoribus paucos illos, at, quantum ſaltem ad Elephantiaſin ſpectat, præſtantiſſimos adtuliſſe, liceatque ſicco pede præterire varios alios græcos, latinos, arabesque medicos, pro ſcopo noſtro ſuperfluos, magnamue partem ab eodem alienos, qui dandæ potius morbi therapiæ quam diagnoſi inſudaverint. Medii autem ævi auctores perinde relinquamus, qvippe qui pro genio ætatis non ſatis diſtincte de hoc morbo ſcripſerunt, eumque cum Lepra confuderunt. Sed

 ab

*) Libr. I. diviſ. Cap. 107. Edit. Baſil. 1544.

ab his deceptum esse magnum ceteroquin virum, F. B. de Sauvages, jure suspicamur. Tribuit enim lepræ græcorum notam characteristicam, quæ tantum lepræ Arabum convenit, quæque à lepra Galeni, à levce Celsi, à Bara Rhasis, ab Albara Avicennæ, est aliena, tubercula nempe dura verrucosa, Elephantiaseos Græcorum signum pathognomonicum.

§. 13.

Quod si allata ex antiquis auctoribus loca comparamus, mox apparet, in hoc consentire ad unum fere omnes, quod sit morbus chronicus, sanatu difficillimus, tuberculis crebris, tumoribus, ulceribus foetentibus, fissuris, maculis et squamis, corpus ægroti deturpans, summam corporis partem primo invadens, mutationem vocis et dyspnoeam inducens. Easdem notas invenimus apud septentrionales medicos superius adductos. Iterum eadem occurrunt in historia morbi Norvegorum endemii, quam autopsia ductus, in capite primo proprosui, unde puto, extra omnem dubitationis aleam esse positum, quod dictus morbus idem sit ille, quem Græci sub Elephantiaseos, Arabes sub Lepræ nomine observarunt et delinearunt.

§. 14.

Vix dubito fore, qui perlegendo omnes illas morbi descriptiones, singulasque cum singulis

gulis comparando, aliquam diverſitatem ſibi videre videantur. Nec negari poteſt unum auctorem præ altero plura enumerare ſymptomata. At vero attendat benignus lector ad ſequentes rationes. Primum diſtinguendum erit inter deſcriptionem, qualem antiqui præſertim dederunt, et accuratam et ſuccinctam ſymptomatum usque quaque præſentium collectionem, qualem ſub nomine characteris recentiſſimi auctores ſyſtematici elaborare adnituntur. Facile enim illam, deſcriptionem puta, multa ingrediuntur ſymptomata individualia, ſive in ſingulis ægrotis, non in omnibus, adnotata. Deinde poteſt aëris conſtitutio, clima, victus, ipſumque ſolum diverſum ad efficiendas notabiles morbi cujuslibet epidemici v. endemii varietates, ne dicam ſpecies, plurimum conferre, hinc fieri non potuit, quin Elephantiaſis, prout diverſo ævo, diverſoque loco, obſervata eſt, quoad totam ſuam faciem aliter ac aliter deſcriberetur, adque ipſa ſigna eſſentialia et perpetua, ut pote diverſo gradu occurrentia, magis minusve attenderetur. Unde non mirandum eſt, delineationem morbi, quam Cl. Peterſen, tum etiam Exper. Möllerus elaborarunt, ab illa, quam apud reliquos ſeptentrionales medicos legimus; non parum differre. Quid, quod ego audivi à viris fide dignis, eundem

 iſtum

iſtum morbum in Norvegia ſeptentrionali non modo frequentiorem, verum etiam ſæviorem multo, et terribiliorem eſſe, quam in meridionali regni parte? Porro nihil obſtare potuit, quo minus lepra Græcorum ſimul cum eorundem Elephantiaſi per Europam vagaretur, et adhuc dum in ſeptentrione hoſpitetur. Veram lepram Græcorum in Sophroniſterio Havnienſi, plus ſimplici vice, obſervavit Ampliſſimus et Experientiſſimus Tode. Neque improbabile eſt, in uno eodemque homine utrumque malum paſſim ſedem inveniſſe communem. En nova ſcaturigo erroris et confuſionis in Elephantiaſeos Septentrionalium hiſtoria!

§. 15.

Priusquam finem opusculo imponamus, paucis disquirere liceat, unde veniat potiſſimum, quod in ore populorum ſeptentrionalium Elephantiaſis ſcorbuti nomen ſortita ſit, et quo tempore uterque morbus primum apud nos adparuerit: Rationes deinde adjiciamus probabiles, cur iſte morbus in ultimo Septentrione majores acqviſiverit vires, altioresque fixerit radices quam in reliquis Europæ regionibus.

§. 16.

Non ſub finem ſeculi decimi tertii, uti vult Itinerarium perilluſtris quondam Islandiæ Nomo-

mophylacis Eggerti Olafi filii, primum in feptentrione innotuit fcorbutus, *) fed octingentos ante annos, feculo nimirum decimo, ejus fieri mentionem invenimus, hominemque eo detentum ad integram redire fanitatem.**) E contrario ftatuit hoc Itinerarium Elephantiafin coævam effe primis Islandiæ habitatoribus, quæ narratio, quantum novi, firmæ hiftoricæ auctoritati haud innititur. Exftat quidem in vita Regis Norvegiæ, Olafi Tryggii filii, locus de Islando quodam leprofo, Thorhallo Knapftadenfi nuncupato, qui confilio Regis per fomnium apparentis templum exftruens, fanitatem recuperaffe dicitur Anno 1000.***) Sed Gunnlögum Monachum ducentis poft annis vitam religio-

 fis-

*) Vice-Lavmand Eggert Olaffens og Landphyfici Biarne Povelfens Reife igiennem Island. Sorøe 1772.

**) *Jam Thorfteinus pulcher atque Einarus in altum vehuntur. Thorfteinus vero in Oceano morbo, fcorbuto dicto, correptus, muneribus fuis fungi nequiit. Hi in Norvegiam delati triclinium fibi mercede conduxere. Ibi integram hyemem decubuit Thorftenus. De Thorfteno Pulchro refertur, quod faluti reftitutus, nave inftructa Islandiam petierit, proximaque, poft peractas nuptias, æftate in patriam redierit. Vita ejus Cap. III. et IV. Ifte Thorftenus fynchronus erat comiti Haquino Sigurdi filio Regni Norvagici gubernatori.*

***) Saga Olafs Tryggvafonar Noregs Kongs, prentud i Skalholte 1689.

ſiſſimi Regis miraculo hocce, monachorum more potius ornaſſe, quam vera narraſſe prohabile eſt. Nullus ideo mihi certus occurrit locus de exiſtentia Elephantiaſeos in Septentrione antiquior Teſtamento Regis Magni, Legum Reſtauratoris, Anno 1277 confirmato,*) unde concludere licet Elephantiaſin per Expeditiones ſacras ſeculo duodecimo ultima vice invectam ſeptentrionem noſtrum, uti reliquam Europam, inundaſſe, et hac in re mecum conſentiunt viri hiſtorica cognitione celebres. Hinc fieri poteſt, Elephantiaſi incognitæ ab initio antiquioris ſcorbuti nomen impoſitum fuiſſe, cujus rei ſimilitudinem aliorum nonnullorum morborum Exempla comprabant. Poſtquam vero innotuit horrenda morbi ſævitia, eum ſine invocatione Dei nominare non audebant ſeptentrionales, quod frequens illud Islandorum, dum Elephantiacum nominare neceſſe habent, teſtatur; hann er ſpitelſkur, Gud ſie oß nœſtur! id eſt, ille eſt leprorſus, ſit Deus nobis propitius vel proximus!

§. 17.

Præterea ſervati adhuc ſcorbuti nominis loco Elephantiaſeos rationem invenio in Diæta, quæ

*) *Item ad Oſpitale ſanctæ Chatarinæ Leproſorum Bergis centum marcas ſterlingorum conſulimus. Edit. Hafn. 719 pag. 14.*

quæ utrique morbo ſanando convenit, ut et in variis cauſis occaſionalibus et prædiſponentibus utrique affectui communibus. Conſtat enim victum vegetabilem, diætam lacteam, carnes animalium juniorum recentes, et motum corporis moderatum ad tollendum ſcorbutum, non ſecus ac Elephantiaſin remedia eſſe convenientiſſima; contrariam vero vitæ rationem utrique morbo producendo multum favere. Hoc non modo vulgum in confuſionem nominis inducere potuit, ſed etiam doctiſſimos et experientiſſimos in ſeptentrione medicos à veritatis via abduxiſſe videtur, qui Elephantiaſin ſummum ſcorbuti eſſe gradum, nimis præcipitanter judicarint.

§. 18.

Sed quærere quis poteſt, cur Elephantiaſis diutius in ultimo ſeptentrione ſævierit, quam in reliqua Europa, cum ſit morbus ex diſſitis mundi plagis invectus, atque adeo Boreæ non inquilinus, et proprius. Variæ eſſe poſſunt rationes hujus rei. Primo fieri poteſt, majorem curam in aliis regnis illi exſtirpando adhibitam fuiſſe, quam in Norvegiæ, et inſulis adjacentibus, quod vero ſimiliter concludere licet ex multitudine noſocomiorum apud nonnullas Europæ Gentes pro excipiendis leproſis inſtauratorum

torum,*) ut et numero medicorum, qui hunc morbum ſcriptis ſuis illuſtrare conati ſunt. Hoc non ita apud noſtrates evenit, nam pauca nimis noſocomia apud nos in hunc finem fuere exſtructa, pauciores vero exſtant medici, qui morbi naturam et methodum medendi explanarunt.

§. 19.

ALTERA cauſa mali hujus tam diu perdurantis eſt ſine dubio multiplex illud vitium in ſex rebus non naturalibus, quod Cap. I. inter cauſas morbi recenſuimus. Hæc incommoda vitæ ſub rigido aquilone ſunt fere inevitabilia, iis imprimis, qui captura piscium vitam ſuſtentare coguntur. Hæc omnia in variis aliis regionibus, regnisque modo ſe habent contrario, ubi alimentis è regno animali recentibus, conditis et nobiliſſimis ſimul vegetabilibus non carent vel, infimæ ſortis incolæ: unde non mirum eſt hunc morbum, ſuperioribus ſeculis per Europam epidemice graſſatum, ſedem ſibi firmiorem in aquilone, quam alibi fixiſſe; heic enim eædem dantur rationes, ac in illis regionibus, ubi eum adhuc ali, et velut endemice ſævire, legimus.

§. 20.

Ex his, quæ jam protuli, facile patet, non mirandum eſſe, quod Elephantiaſis ſub aquilone noſtro

*) De 19000 narrat Matthæus Pariſienſis.

noſtro adhuc graſſari poſſit, et ex deſcriptionibus morbi inter ſe collatis certiſime conſtat, ipſum revera ibi in hunc usque diem ſævire. Res enim quæcunque, quarum notæ characteriſticæ esſentiales ɔ: et conſtantes conveniunt, illæ inter ſe ita conſentiunt, ut pro eadem ſunt habendæ. In ſuperioribus autem monſtravi notas eſſentiales Elephantiaſeos in Norvegia graſſantis prorſus convenire cum notis eſſentialibus morbi ejusdem nominis ab antiquiſſimis auctoribus deſcripti, unde nullum ſupereſt dubium morbum iſtum, quem Norvegi Radesyge, Spedalſkhed et Saltflod promiscue vernacula vocant, veram eſſe Græcorum Elephantiaſin ſ. Lepram Arabum.

§. 21.

Hac doctrina accepta, et confirmata, facilior erit via ad methodum medendi inveſtigandam, ſpesque affulgebit morbum hunc in ſeptentrione noſtro aliquando exſtinctum iri.

Doctiſſi-

Doctissimo et Experientissimo Auctori
f. p. d. Jo. Clemens Tode.

Opusculum Tuum, quod meæ, ceu futuri præsidis, censuræ subjecisti, omne Tuum ad Te redit. Non dubito elaboratissimam illam scriptionem plus simplicejure apud exteros, non secus ac in patria, communem Medicorum plausum inventuram esse. Et primo quidem agis de morbo crudelissimo, hactenus non satis cognito, et, nisi omnia me fallunt, propter hanc obscuritatem non minus, quam ex suo ingenio, tam terribilem. Lues enim venerea, Scorbutus, aliaque mala ideo potissimum desierunt tantas strages edere, quam seculis elapsis, quod perspectam jam habemus illorum naturam, idoneamque parare possumus medicinam. Deinde hoc exemplo doces, quam utile sit in dijudicandis variis morbis, pro novis habitis, ad antiquissimos recurrere fontes, et exemplaria Græca nocturna versare manu, versare diurna. Egregium quoque documentum sistit fida tua Elephantiaseos Norvegicæ historia, quam parum in admittenda natura morborum venerea creden-

dum

dum ſit mancæ et mutilæ analogiæ, ſingulis nempe nonnullis ſymptomatibus ex ſua ſyndrome et nexu artificioſe reſectis, vel etiam fallaciſſimo levamini, ab hoc vel illo medicamine efficaciore quaſi per tranſennam obſervato. Vero operæ tuæ pretio vix quidquam ideo decedit, quod disquiſitioni pathologicæ therapiam non ſubjunxiſti. Nam ſi verum eſt, cognito morbo, facile inveniri ejusdem remedia, Tua quoque Diſſertatio facem certe præfert Medicis, quotquot lui illi medendæ methodum ſibi indagandam et adornandam in poſterum ſument. Liceat autem, quod inter privatos parietes mihi feciſti, promiſſum publici juris facere, Teque Patriæ et Artis nomine ad dandam, quam primum poteris, probatiorem morbi therapiam, adhortari. Vale, et eximio Tuo ingenio ad partes Tuas cum laude agendas, adque munus Tuum cum omnium bonorum plauſu ſuſtinendum, utere! Dabam XIX. ante Calend. Septembris MDCCLXXXV.



Errata.

Pag. 19. l. 16. lege Quamquam
— 25. - 12. — corpus, verum
— 26. - 22. — ſporadicum
— 27. - 21. — foedantur tumoribus plumbei coloris, qui exulcerantur foedum
— 34. - 9. — apparunt
— 35. - 6. — Sentio
— 41. - 4. — Pulcram, nec minus plenam
— 45. - 17. — metus eſt, ne morbus

SVMMOS IN ARTE MEDICA HONORES

DOCTISSIMO ET *EXPERIENTISSIMO*

CANDIDATO

JONAE GISLESEN

CONFERENDOS INDICIT

RECTOR ET SENATVS

REGIAE VNIVERSITATIS HAVNIENSIS.



N*umerorum characteres*, quos *Arabicos* vulgo vocant, tam indole ſua quam uſu, etiam obiter conſideranti, tam multum obſervatione dignum oſtendunt, ut in illorum origines atque initia Europæa inquiſitio magni ſatis momenti videatur. Characteres ipſi tam ſunt à communibus Litteris diverſi, ut quum hæ vocis tantum ſonos indicent, illi ipſas, quas numerorum vocabulis jungimus, ideas repræſentent. Hi numerorum ductus, etiam ab omnibus aliarum nationum ſcribendi characteribus tam multum differunt, ut ſi ex aliquo litterarum ductu illos derivare velimus, imaginationi noſtræ vis ſit adhibenda. Ipſa denique numerorum ratio, ut iidem characteres diverſis poſiti locis diverſos habeant dignitates, illorum inventionem tantopere reddit conſideratione dignam, quum in illa ipſa perfectioris noſtræ Arithmeticæ

ratio confiftat. Hæc omnia atque alia, quæ in numerorum characteribus obfervantur fingularia, quæftionem de illorum originibus non Hiftorico tantum commendant, fed critico etiam in disquirendis litterarum monimentis, codicibus, diplomatibus: multo vero magis Calculatori erudito atque diligenti, ne erga tantam fibique tam proficuam inventionem ingratus videatur.

Quæ vulgo recepta eft, *Arabicorum* characterum appellatio, vulgarem de illorum Arabica origine opinionem declarat: non tamen id, quod nonnulli putant, perhibet, effe iftos characteres Litteras Arabum, quafi hi, ficut aliæ nationes antiquæ, priores Alphabeti Litteras ad fignificandos novem numeros cardinales adhibuiffent. Verior potius eft fententia, inventionem ipfam numeros iftis characteribus fignificandi, ab Arabibus ad Mauros Africanos, inde ad Hifpanos, denique ad ceteros Europæos migraffe. Rectius ipfe Arabes, præcipue doctiffimus *Al-Sephadi* in commentarii ad poema *Tograi*, tefte *Wallifio* in Opere Arithmetico, Cap. 31 inventionem Indis retribuunt; de cujus tamen origine ac progreffu nihil amplius narrat auctor. Confentit cum hoc græcus feculi XIV medii monachus, *Maximus Planudes*, in Arithmeticæ fuæ rubro tribuens diferte Indis numerorum characteres ipforumque ufum.

Affer-

Aſſervatur hic liber manu tantum exaratus in Vaticano, in S. Marci Bibliotheca Venetiis, atque in Bodlejana Oxoniæ.

De tempore, quo primum *Europæi* præter Hiſpanos uſi ſin his numerorum characteribus Indicis vel Arabicis, *Athanaſius* quidem *Kircherus* atque *Johannes Mabillon* perhibent, non ante annum 1420 vel 1400 illos in ſcriptis non arithmeticis reperiri, *Joſephus* tamen *Scaliger* primum illorum uſum ad annum 1300 retroponit; *Johannes* vero *Gerardi Voſſius* atque *Johannes Wardius* ad a. 1250 circiter, quo nempe uſus ſit illis *Joannes à Sacro-Bosco*. Quorum ſcripta ſatis nota ipſa ſunt inſpicienda. Nemo vero diligentius in horum characterum uſum Europæum inquiſivit, quam mathematicus ille Epiſcopus *Joannes Wallis*, in Algebræ Cap. III. ad V. Operum Vol. II. pag. 7 ſeqq. Erat, ſecundum has disquiſitiones, Monachus Floriacenſis Franco-Galliæ, *Gerebertus* vel *Gerbertus*, quem *Gilbertum* vocant Centuriatores Magdeburgenſes, inſtructor Roberti Hugonis filii Capeti, poſtea regis, atque Ottonis III., poſtea imperatoris, qui ſeculo X. medio in Hiſpania horum characterum uſum addiscebat, eundemque ſcriptis pluribus atque doctrina ſua reddebat notiorem. Eruditiſſimi illius monachi, evecti deinde ad Episcopatum Rhemenſem, Anno 992, ad Ravennatem a. 996 et ad

fummum denique Pontificatum a. 998 vel 999, Epiftolæ impreffæ Parifiis 1611 et 1636. inprimis vero ipfius Tractatus Geometricus, qui ex vetuftiffimo codice Salisburgenfi prodiit in Thefauro Anecdotorum noviffimo *Bernhardi Pezii*, non cognitum folum ipfi illorum characterum ufum demonftrant, fed illorum etiam rationem, qua diverfis locis pofiti diverfas obtinent dignitates; quæ quidem illius inventionis virtutes funt principes.

Quæ horum characterum origines orientales, eorundemque inter Europæos nationes progreffus, quanquam certiffimis hiftoricis teftimoniis confirmentur: non defuerunt tamen, qui illorum antiquiorem Europæam originem vero reddiderint fimiliorem. Non arrident quidem *Conradi Dafypodii* atque *Petri Danielis Huetii* placita, illos numerorum characteres ex *Græcis*, quibus numerorum loco utebantur, litteris ortos perhibentium: tametfi illud nos celare non poffimus, fieri poffe luxuriantis ope imaginationis ut ex variantibus græcarum literarum formis variantes cifrarum formæ deriventur, quantumvis ceterum iidem fint diverfi. Quæ fi tamen placita veri videantur fimiliora, à Græca horum characterum origine retro foret eundum vel ad *Phœnices*, Græcarum litterarum priores inventores, quos rationum fuarum caufa commodiores etiam nu-

mero-

merorum characteres inveniſſe, ingenioſisſimus *Schloezerns* opinatur: vel ad *Aegyptios*, quorum Mumiarum involucra goſſypina ſimilibus characteribus inſignita obſervavit erudititiſſimus *Büttnerus*, olim Göttingenſium jam Jenenſium decus. De quorum doctorum placitis relatum legimus ab amico, illorum quondam auditore. Ex ſimilibus olim rationibus doctiſſimus *Theoph. Siegfr. Bayer*, in diſſertatione de Eclipſi Sinica, noſtros numerorum characteres ad *Sinenſes* inventores retulit, quorum quidem characteres omnes ac ſinguli ſunt idearum ſigna: ſed de numerorum tamen uſu, qualem ab Arabibus accepimus, inter Sinenſes recepto nondum conſtat, donec de characterum iſtorum dignitate locali, quæ in Arabum Arithmetica præcipuum eſt commodum, reddantur certiores. Nam ſi vel maxime noſtri numerorum characteres eſſent ægyptiaci, ad hos ipſos ac Indis antiquiſſimis, vel ab illis ad Sinenſes, ad Phoenices, vel ad Græcos antiquiſſimos propagati; Arabibus tamen ſolis iſta gloria foret vindicanda, ſe characteres, vel ab Indis, vel ab Aegyptiacis vel à Græcis etiam acceptos, opportune ad uſus rationesque ſuas accommodaſſe atque Arithmeticam nobis commodiſſimam tradidiſſe, quam per Europam primus propagavit doctiſſimus ille Gerbertus.

Quum tandem *Romanos* etiam vel Latinos, præter characteres litterarum unciales et capitales, usos fuisse minusculis vel cursivis, et præter notissima signa numerorum ad operationes arithmeticas prorsus inepta etiam notis numericis minusculis, nuper demonstraverit doctissimus et generosissimus *J Bapt. Casp. d'Ansse de Villoison* in Anecdotorum Græcorum Tomo II. Venet. 1781. 4. pag. 143 - 158. nos quidem locum illum, ubi notarum numericarum minuscularum apud Romanos usus certior redditur, ipsi perlustrabimus. Dissertatio nempe mathematico-critica de *Numeralium Notarum minuscularum origine* inserta est bonæ frugis plenissimæ collectioni *Raccolta d'Opusculi scientifici è filologici*. Tomo XLVIII. 1753. Ven. 12. pag. 21-110. Notas 7 et 3, etiam 4, intermixtas fuisse quibusdam antiquis Inscriptionibus, ostendit auctor anonymus pag. 24-31; in codice etiam Bedæ de Temporum ratione 8 notam significare septem uncias: sed quid in istis Inscriptionibus valuerint illæ notæ minime liquet. Notam Z significasse duo et simul syllabam *di* vel si, probatur pag. 33 seq. Porro 5 loco VI fuisse adhibitam et 9 pro C (centum). Plures ejusmodi notas in Ponderum ac Mensurarum catalogum retulisse *Priscianum* constat, de quarum tamen significatione etiam grammatici certant. Refert vero acerrimus criticus *Isaacus Vossius*, in Pomponium

Melam

Melam pag. 64, vidiſſe ſe ex ſexto ſeculo codicem Arithmeticorum *Anitii Manlii Torquati Severini Boethii* noſtris vulgaribus numerorum notis refertum. Exemplum affert noſter auctor anonymus pag. 46. primæ ſeriei Tabulæ ſuperparticularium, ubi omnes noſtræ numerorum notæ, ab 1 ad 10, ſuo ordine poſitæ conſpiciuntur. Exiſtimat vero auctor talem habere iſtos characteres connexionem cum operationibus à *Boethio* peractis, ut has ab illis ſejungere arduum æque ſit, ac velle Iſthmum perfodere. Quinimo *Boethius* ipſe in Libri I. calce, Apices ſeu characteres ſuos à Pythagoricis Arithmeticæ inventoribus, aut ab ipſo etiam Pythagora, originem duxiſſe, adeoque antiquiſſimos omnino fuiſſe exiſtimavit. Nobis vero à Pythagora rurſus ad Orientem vel ad Indos eſſe retro eundum itidem videtur; ut adeo noſtri numerorum characteres, qui cum ceteris disciplinis ex Oriente in Occidentem antiquitus migraverant, non breviſſima via ex Italia ad noſtros pervenerint, ſed poſt Græcarum litteranum in Occidente interitum iterum ab Orientis oris ad ultimas Gades appulerint, indeque per Gerbertum, tanquam alterum Pythagoram discendi ardore flagrantem, in Franco - Galliam atque Germaniam perlati, tandem etiam ad Septentrionis plagas atque ultimam Thulen fuerint propagati.

Sed ut finem nunc inponamus sermoni, alia tamen occasione absolvendo, nos monent indicenda solemnia

VIRI CLARISSIMI ET EXPERIENTISSIMI

JONAE GISLESEN,

ISLANDI,

PRÆFECTURÆ BUSKERUDENSIS

PHYSICI REGII,

ET CIVITATUM DRAMARUM POLIATRI.

Quanta industria difficultates studii medici eluctatus sit, et quot quantisque ducibus ad eruditum & exercitatum medicum formatus fuerit, quo jure denique laboris præmia jam poscat Candidatus dignissimus, ex ejus vitæ curriculo, propriis ipsius verbis, uti moris, exponendo, patebit.

Ego JONAS GISLESEN *villæ Mogilsa in australi Islandiæ parte et quidem Kiosensi præfectura sitæ incunabula debeo, ortus anno* 1750 *à parentibus* GISLIO JOHNÆ *filio et* CHRISTINA BERGSTEINI *filia, qui generis decore et gloria majorum ob pauperiem obumbrato, ruricolarum more vitam sustentarunt. Parentes optimi me sanctissimæ religionis cognitione imbutum operibus suis assvefecerunt, ut, labente illorum ætate, debitam sibi præstare possem operam. Evenit autem anno ætatis meæ decimo sexto, ut Præpositus Ecclesiarum Toparchiæ Gullbringensis et Kiosensis, vir multum Reverendus*

rendus Dn. GUDLÖGUS THORGEISSONIUS, *me inter ceteros adolescentes examinans, ob depromta è ſacro Codice reſponſa, opinaretur, me tantis eſſe animi dotibus præditum, ut, ruſticis operibus relictis, muſis nomen dare merito deberem. Pater, quanquam inops, et cui opera vita eſſet, ſpe tamen felicitatis meæ hoc modo obtinendæ commotus, venerabilis Præpoſiti monitis morem geſſit, qui ingenium meum ulterius tentatum laudavit, atque ei hac in re annuit vir Reverendus Paſtor Eccleſiæ Mosfellenſis in Grimsneſo*, Dnus. HILARIUS ILLUGII *filius. Ita iſti ambo laudatiſſimi viri prima eruditionis meæ fundamenta jecerunt. Initia hæcce eruditionis erant dura; primo enim cum adverſa veletudine conflictabar, et deinde aditus ad Regiam Eleemoſynam pauperrimo per triennium præcludebatur. Unde anno primum ætatis decimo nono Scholam Schalholtenſem intrare mihi licuit, ubi poſtquam Muſis ſub ſignis virorum ampliſſimorum Magiſtri* BIARNII JONÆ *filii Rectoris, et* PAULI JACOBÆI *Conrectoris per triennium militaveram, ex autoritate ſumme venerabilis Episcopi* Dni. FINNI JOHANNÆI *S. S. Theol. Doct. à Præfecto Islandiæ, viro Perilluſtri* LAURENTIO ANDREA THODAL *approbata, Havniam transmiſſus ſum, in aliqua Scholarum Sælandiæ collocandus. Quanquam non optime conveniret cum gratioſiſſimo Privilegio Beatiſſimi Regis* FRIDERICI Vti. *adolescentem rerum omnium egenum hunc in finem ad exteros mittere, erat tamen hoc mihi initium melioris vitæ conditionis. Nam cum huc ventum eſt, ſumme venerabilis eminentisſimus Siælandiæ Episcopus beatæ memoriæ* LUDOVICUS HARBOE *me viro amplisſimo Magiſtro* OTTONI RHUD, *Scholæ Slagloſienſis Rectori, ſtatim commendavit, ubi non modo à commi-*

litonibus lubentissime receptus sum, verum etiam ab oppidi optimatibus beneficiis magnopere cumulatus, quorum grata mente, dum spiro recordabor. Transactis ibi sub socia institutione Rectoris superius laudati et optimi viri Magistri BORRICHII *Scholæ Conrectoris duobus fere annis, Havniam redux albo civium Academicorum inscriptus sum, scientiasque philosophicas colere coepi sub auspiciis perillustrium virorum, qui borealibus hisce Athenis rem publicam litterariam tunc temporis moderabantur, nominatim: In Logica et Methaphysica* B. RISBRIGH; *in Philosophia Morali* B. G. DE OBELITZ; *in Philosophia naturali experiment.* CHR. GOTTL. KRATZENSTEIN; *in Mathesi* CHR. HEE; *in Astronomia* CHR. HORREBOV; *in Historia et Geographia* BERNH. MÖLLMANN; *in lingua Latina* CHR. FRID. WADSKIÆR; *in lingua Græca* ABR. KALL, *et praeterea in Theologia nat.* CHR. GOTTL. SEIDELITZ *qui id temporis erat præpositus communitatis Regiæ, exercitationibus in communitate Regia interim haud neglectis. Sequenti simul æstate initia Botanices et materiæ medicæ à viro clarissimo et experientissimo* M. SAXTORPHIO *hausi, in re vero philosophica vir Celeberrimus, et fautor benignissimus* ABR. KALL *privatim me instituit, unde ad finem anni 1775 profectus meos censoribus optimis explorandos submisi, quos laudabiles communiter judicarunt. Postea ad scientias Philologicas secundum mandatum Augustissimi Regis tunc temporis promulgatum me applicui, magistris usus amplissimis; in Latinis* CHR. WADSKIÆR; *in Historia et Geographia* J. H. SCHLEGEL; *in Hebraeis et Graecis* ABR. KALL, *qui me praeterea singulari benignitate in his omnibus privatim instituit. Anno 1777 profectus meos hac*

in

in re publico examini probandos subjeci, laudemque communi aequisſimorum censorum judicio reportavi. His ita peractis, in Hygaeae comitatum me dedi, peritisſimos secutus duces, viros amplisſimos; Nimirum in Anatomia Physiologia et Elementis Botanices ROTBÖL FRIIS; *item in Anatomia et Chirurgia* CALLISENIUM *et* HENNINGSIUM; *in arte obstetricia* M. SAXTORPHIUM, *qui, postquam in simulacro puerperae mechanico praxin obstetriciam monstraverat, Xenodochium puerperarum mihi gratiosius aperuit, unde tamen fructum tantum non percipiebam, quantum sperare fas est iis provenire, qui ibi per certum tempus constanter habitantes occasionem habent optatisſimam quotidie observare singula, quae in eo negotio eveniunt; nam tunc temporis locus hospitii mihi nullus ibi vacavit; in Physica experimentali* KRATZENSTEINIUM, *hanc enim scientiam ductu scientiſſimi et experientisſimi viri Fautoris benevolentisſimi, et candore animi sincerrimo ornati, ab integro recolui; in materia medica, Therapia generali et speciali, Pathologia, medicina forensi, et Praxi clinica virum indefeſſum et ingenii acumine excellentem* TODIUM, *qui et praeterea non modo lubentiſſimae domi suae privatim Apollinis adyta mihi patefecit, sed et, cum occasio ferret, aegrotos semet ipso duce visitandi, insigni cum meo in arte emolumento, copiam fecit. Prima denique artis Hermeticae elementa me docuit idem vir Experientisſimus, quod mihi et aliis medicinae cultoribus erat acceptisſimum. Cum vero fautori optimo domus non ita eſſet comparata, ut commode instituere poſſet omnia, quibus opus erat ad proceſſus chemicos exhibendos, veniam impetravi à viro clarisſimo et solletisſimo* Dno. MÜLLER *à Consil. Just., ut ejus operationibus Hermeticis inter-*

ter-

tereſſem, quam ob rem ei me magnopere obſtrictum gratus profiteor. Interfui quoque praelectionibus clinicis viri doctisſimi et exercitatisſimi Profeſſoris F. L. BANG, *qui et mihi, ut aliis artis ſalutaris ſtudioſis, comitandi ſeſe, aegrotos in Noſocomio Fridericiano viſitantem, veniam gratioſisſime impertiit. Interea locum in Coll. Mediceo philologicum amplisſimus Senatus academicus, philologiae candidatis quaſi praemium ex mandato Regio deſignatum, benignisſime mihi concesſit. Ibi Tentamen hiſtorico medicum, ex antiquitatibus borealibus collectum,* 4*tuor conſtans particulis, pro iſto Stipendio edere aggreſſus ſum. Inſtituendis juvenibus ſimul operam collocavi, quorum tres Academiae tradidi, qui laudatos in artibus et ſcientiis profectus doctisſimis Cenſoribus probaverunt. Ad ſtudium medicinae eo diligentius atque facilius perſequendum interceſſu illuſtris et optimi Herois* O. HÖEG GULDBERG *ex Theſauro privato Auguſtisſimi Regis* CHRISTIANI VIItmi *litterarum et litteratorum clementisſimi et munificentisſimi Fautoris et Benefactoris, ſubſidium pecuniarum* 70 *imperialibus conſtans, rebus meis egenis exoptatum levamentum accepi, cujus beneficio ad publicum Examen ſuſtinendum anno* 1781 *paratus evaſi, quod tamen certas ob rationes in annum* 1783 *protractum eſt. Quo interjecto tempore evenit, ut cives Dramarum in Norvegia ob disceſſum viri clarisſimi et experientisſimi* Dris. ARBO, *qui diu inter eos medicinam optimo cum ſucceſſu exercuerat, ope medica deſtituti, ex hac regia Metropoli auxiliatorem ſibi quaererent, ſed aliis fruſtra ſollicitatis, precibus eorum annui, et eum in finem examen medicum rigoroſum cum laude ſuſtinui; ceterum, ut promisſis ſtare poſſem, curarunt praedicti cives optimi ſumptus itineris ma-*

xime

xime neceſſarios liberaliter in anteceſſum ſuppeditando. Ita medicinam ibi per unum annum et dimidium felici ſucceſſu apud illos tractavi, ſed laurea doctorali mihi, quod ab Academia abeſſem, non conceſſa, illius obtinendae gratia huc me iterum contuli, et Medici provincialis munere in Dramarum oppidis et præfectura circumjacente, quae à Buſkerud denominatur, a Clementisſimo Rege ornatus, tractatum de morbo Norvegorum inquilino, qui Radesyge *vulgo audit, pro ſummis in arte ſalutari honoribus publice defendendum compoſui.*

Hos vero honores ipſi, uti optime merenti, ab ordine medico decretos ut ritu majerum capeſſere queat, nihil ei reſtat, niſi ut ſpecimen ſuum inaugurale *de Elephantiaſi Norvegorum* publico ſubmittat examini illudque contra diſſentientes tueatur. Superato hoc certamine, cujus moderamen, præmiſſa proluſione *de jurgiis et odiis gentis apollineæ*, geret Vir Ampl. et Exp. JO. CLEMENS TODE, tandem Magnificus Univerſitatis noſtræ Rector, Vir illuſtris CHR. GOTTLIEB KRATZENSTEIN, Med. et Phil. D. cet. quod Prodecani officii eſt, peraget atque pro ea, qua à Rege Auguſtiſſimo CHRISTIANO SEPTIMO, interprete ſene multiplice nomine devenerando, Comite illuſtriſſimo OTTONE THOTT, inter ſanctioris conſilii proceres ſeniore, Academiæ Patrono exoptatiſſimo, inſtructus eſt, auctoritate, Candidato noſtro Lauream imponet Apollinarem.

QUOD

Quod cum craſtino die, qui eſt menſis Septemb. *primo*, fiet, graviſſimos Reipublicæ literariæ proceres, nec non nobiliſſimos univerſitatis noſtræ Cives, omnes denique literarum fautores et cultores officioſiſſime et humaniſſime rogamus, ut honorifica ſua præſentia hanc ſolennitatem condecorare velint.

P. P. HAVNIAE,
PRID. CAL. SEPTEMBR. cIↄIↄCCLXXXV.

SVB VNIVERSITATIS ET FACVLTATIS MEDICAE SIGILLIS.

